


No. 40.

G 234

D



CIRCULUS  
MENSTRUUS.  
CHRISTIARUM  
COGITATIONUM  
SANCTISSIMIS HONORIBUS  
DIVI JOSEPHI  
DEI IN TERRIS NUTRITII,  
<sup>E T</sup>  
VIRGINEI MARIÆ SPONSI  
DICATUS.

Dum in Alma ac Regio-Principali  
S. J. Acad. Claudiopolitana, uni-  
versæ Philosophiæ positiones;  
Nob. ac Erud. D. ADALBERTUS TAN-  
czos, AA. LL. & Phil. Baccalaur. ac pro  
suprema ejusdem Laurea Candidat. è Sem.  
S. Jos. publicè defenseret.

P R A E S I D E

R.P. JOSEPHO BOROSS è S.J.AA.  
LL. & Phil. Doct. ejusdémq; Pro-  
fess. emerito M.DCC. XXX III.

CLAUDIOPOLI, Typis Academ. S. J. Annō 1733.

BIBLIOTeca  
ASTRA



# THESES EX UNIVERSA PHILOSOPHIA.

I. Logica est Scientia partim practica, partim Speculativa : ad alias Scientias non physice, aut metaphysice, nec propriè moraliter necessaria. 2. Ejus objectum materiale sunt solè cogitationes construibles. Formale, recta cognitionum constructio ; Attributionis ex fine intrinseco nullum habet ; ex fine tamen extrinseco statui potest sola demonstratio. 3. Identitas consistit in summa communicatione : Distinctio in extremis distinctis. 4. Scotistica, & Thomistica implicant. 5. Intellectus dum abstractivè cognoscit, potest præscindere objectivè. 6. Universale metaphysicum habetur tantum per intellectum. 7. Ratio individui potest abstrahi ab omnibus individuis. Diversitas specifica, consistit in scientifica dissimilitudine essentiali. 8. Ens præscindit à differentiis. 9. Relatio transcendentalis est, prædicamentalis non est adiquatè intrinseca solidi fundamento. 10. Existentia non distinguitur ab essentia. 11. Possibilia habent, impossibilia nullum habent esse formale intrinsecum. 12. Propositio contingenter vera potest transfire in falsam : non autem vicissim. 13. De futuris con-

tin-

tingentibus datur actu determinata veritas, quæ  
est actui semies: trinseca. 14. Assensus præmissarum  
necessitat ad conclusionem. 15. Non potest  
intelle&us simul scire, & opinari idem objectum.  
16. Evidens est dari aliquam materiam primam.  
17. Materia peripatetica est de se pura potentia  
passiva physica. Repugnat eam existere omni for-  
ma substantiali spoliata. 18. Est ingenerabi-  
lis: incorruptibilis: æqualiter appetit omnes for-  
mas. 19. Forma substantialis materialis est ver  
entitas, & non purus modus. 20. Nec dñvinitus  
potest existere absque omni materia, uti nec plu-  
res totales formæ eandem partem materiæ infor-  
mare. 21. Dantur formæ substanciales partici-  
les: non item cadaverica, aut corporeitatis. 22.  
Subsistentia habetur per puram negationem ul-  
terioris extensionis substancialis. 23. Unio, actio,  
ubicatio, duratio, non sunt entitates superaddi-  
tæ, sed species quædam relationis. 24. Totum  
non distinguitur à partibus simul sumptis. 25.  
Repugnat duplex actio totalis respectu ejusdem  
numero effectus: uti etiam actio in distans. 26.  
Nihil potest agere in se ipsum, destruendo se phy-  
sicè eodē instanti. 27. Mutua causalitas non est  
possibilis. 28. DEUS immediate concurrit ad  
quemlibet effectum causarum secundarum. 29.  
Determinat ad individuum: non tamen prædeter-  
minat salva libertate humana. 30. Penetratio,  
& replicatio supernaturaliter sunt possibles. 31.  
Res replicata non potest plus, quam non repli-  
cata. 32. Continuum componitur ex punctis ul-  
timò realiter indivisilibus. 33. Licet repugnet  
in statu existentiæ infinitum categorematicum,  
datur tamen in statu possibilitatis, & intentionali.  
34. Nullum ens creatum, seu permanens,

seu successivum potuit esse ab æterno. 35. Mundus est de facto unicus : plures tamen sunt possibiles. 36. Cœli componuntur ex materia ; & forma , suntque corruptibles. 37. Astra influunt in sublunaria. 38. Sol est formaliter ignis. 39. Lunaris globus constat solido & liquido. 40. Simile non agit in simile sensu physico. 41. Intensio non sit additione gradus ad gradum , sed per eandem numero formam. 42. Rarefactio habetur per majorem , condensatio autem per minorem extensionem localem. 43. Non datur quietes in puncto reversionis. 44. Elementa gravitant perinde in locis respectivè propriis , ac in alienis. 45. Sensu metaphysico insunt actu & formaliter mixtis perfectis. 46. Quævis anima est vera forma corporis. 47. Rationalis , est spiritualis , immortalis , & indivisibilis. 48. Brutorum , & plantarum , sunt divisibiles in partes hæterogeneas. 49. Nec simul , nec successivè dantur in eodem vivente plures animæ. 50. Deus est ultimus finis hominis : ejus existentia lumine naturali demonstrari potest.      Cui sit

LAUS, HONOR, & GLORIA,

# LECTORI.



On sunt hæc, quæ pensitanda ti-  
bi propono, obscura quædam re-  
conditæ Philosophiæ ratiocinia, quæ  
contentione animi, & prolixita-  
te temporis ad intelligendum ageant. Concep-  
tus sunt Christianæ mœtis breviculi simplices-  
que; & idcirco sine temporis impendio legi,  
percipiq; faciles. Non tamen nudas credideris  
ex Epicteti vel Senecæ schola, naturalis hone-  
sti ac decori regulas: sed Christiani Divinique  
Juris sanções, ex nostræ Fidei & Evangelii  
orum primariis Oraculis collectas, neque ita  
illorum duntaxat proprias, quos amor seces-  
sus, & precandi studium sibi mancipavit;  
quin ad eos quoque pertineant, qui reip. & fori  
quotidianis dissentient curis, rarus angustosq; ha-  
bent ad divina trattanda aditus. Nullæ enī  
sunt tam curvæ ad terram animæ, quas non  
juvet interdum ad cælum suspicere: nemo tot  
obseßus, distractusque negotiis, cui punctum  
non suppetat otij, ad paucorum, quos indiem  
adnotamus, versuum lectionem. Esto enī  
non sinat illum occupationum copia placida  
cælestium meditationi insisteret; potest tamen  
quotidie, priusquam se rebus agendis applicet,  
unā aliquā salubrium cogitationum, quales  
libellus hic suggerit, in dies mensis singulos di-

gefas, animum munire: quarum esse hic usus poterit. Mane post adoratam ritè Dei præsentiam, dictata per lege, tali mensis diei affigata; sed lente festinans, & sic, ut ea percipias peritius. Si quid otii nactus eris, priori articulo paulisper insisse, priusquam ad sequentem procedas: nec sis nudâ veritatis, quam legis, & obviâ perceptione contentus; sed in eam animo profundius ingredere: ejus sapore palatum & linguam imbue, id est, private tuo & intimo usui eam accommoda: idemque cæteris in articulis observa. Si vero præ turba aliarum occupationum, non vacat tantum otii tibi ipsi concedere, saltet obiter ista lege. Hoc enim in nobis Christianæ præstant cogitationes, quod in molli cera signatorius annulus: ut primum subierint animum, nisi impresso illi charactere aliquo salutari, mox vanescunt. Quòd si ea sit negotiorum turba, ut negatura sit facultatem matutinæ illarum lectioni, prævertenda erit pridiano vespere, antequam somno decumbas, tam salubris letio. Usus porro ille & exercitationis ratio, que singulis cogitationibus subjicitur, quemadmodum per magni est ad virtutis fructum mimenti, ita facilis quoque est, neque unquam omittenda. Quid enim brevius expeditiusque esse possit, quam virtutis actum interiorum exercere; & ad seipsum bene per noscendum reflectere mentis oculos?


Authorum loca, quibus unaqueque cogitatio clauditur, earundem sunt velut epitome ac vis tota, verbis dubibus, aut tribus collobata; ad mensim tota dies decursu sovenam,

dam, ac reficiendam idoneas: proin medul-  
lis Pharmacorum similia, quæ exiguo tem-  
pe ac pondere mira præstant. Ubi menstrua-  
um illarum absolveris circulum, erunt le-  
gendo repetenda, ut earum evadat intelligen-  
tia plenior, & fructus uberior. Novi semper  
aliquid Evangelii effata produnt, non nun-  
quam sterilia, aut effeta; sed plantis illis  
haud ab similia, quæ locupletare humum suis  
proventibus non possunt, nisi altas prius in  
ea radices afferint. Vale, & bene consulenti  
prudenter obsequens, ad salutem tuam expe-  
rire, quid valeant.



CHRISTIANARUM  
COGITATIONUM  
DECRETA,

*In singulos mensis dies distri-  
buta.*



I. D I E S.

*De Fide.*

I. **Q**uid Fides nos docet, auctoritas est loquentis DEI. Ex ipso Christi ore haurit Ecclesia, quæcunque nobis credenda proponit: nec errari in via potest, in qua prælucet ducitque ipsam Veritas.

II. At enim Fides quid utilitatis Christiano consert, nisi morum quoque ipsi sit Rngula? Et stultum quidem est, vocare in dubium, quod loquitur DEUS; quod plura Martyrum vulnera, quam ora; quod miraculorum voces infinitæ; quod ipsi etiam fateri dæmones coguntur: sed duplo stultius, id pro certo & indubitate habere; sic tamen vivere, ut si pro falso habetur. Dæmonum fides est, veris fidem habere, & contrarie vivere.

III. Sit ergo deinceps vivendi mihi principium, Fides; sit operum omnium amissis, & regulæ. Quidquid ea damnabit, ejuro & ecclor: censentem licet in oppositum naturæ pravitatem,

Evan-

Evangelii effatis præfocabo. Quid enim natura? quid mundus dicitant? sensui serviendum, & cupiditati; molesti nihil admittendum, vel ferendum. Quid autem Christus? planè oppositum. Uter igitur author æquior; Christus, amundus?

*Gratias DEO age, quod sis in eis Ecclesiam adscriptus: Fidei symbolum attentius repete, velut iteratam ejus ac solennem professionem.*

*Domine adauge nobis fidem. Luc. 17.*

*Quid prodest, si quis Catholice creat, & genitiliter vivat? Petrus Dam.*

## II. D I E S.

### *De Fine hominis.*

I. **D**EUM pro fine habemus supremo & ultimum: neque is potuit, nisi unisibi, & ad se, nos creare. Hinc ultrò nobis animus magna voce dicitur, nos non esse nisi in unius DEI obsequium conditos: nec illam possimus naturæ professionem incluclabim, nisi sacrilegum mendaciō negare.


II. Detur igitur cuique, quod suum est; & DEO, cuius toti sumus, nos totos reddamus. Hoc nisi studio liberali, & tanquam filii praestamus, mancipabit nos tibi vel invitox: est enim nobis necessariò vel sub Regis optimi, vel sub grati vиндicis imperio vivendum. Age sis itaque, utrumvis, elige.

III. Tendit suum unaqueque res ad finem, & sequitur conditionis sue pondus. Si orbem illuminare sol tenuat, licet ad hoc in celo pos-

non modò truxta sit in rerum natura , sed mon-  
strum potius mundi despicabile : ità qui se totū  
DEO suo , cuius duntaxat gratiā sit conditus , da-  
ge renuit ; ecquis talem in hominum rebus iince-  
sique cum DEO cordis censum referre ausit ? ut  
qui lese partiri , & alieno quoque tra DEŪ juri  
commodare , in Conditoris sui probrum & injuriā  
haud veletur. Quæresis jam ex te ipso . Ego cu-  
jusmodi sum ? An talis , qui solius DEI causā fa-  
cias , Fāborem meum Fide integra colo , oble-  
ctōq? An studia mea , curæ , vita omnis unicè  
DEUM spectat ? Ejus solius honori amori , &  
gloriæ subservit ? Proh ! quota vitæ jam decur-  
sæ portio est , quam possem vere afferere DEO  
sacratam ? Anime mihi quid tandem agimus in  
hac vita mortali , si id non agimus , ob quod  
solum hanc in lucem venimus.

*Ex nunc iuris serio statue DEO unicè vi-  
vere ; neq; sis animum tuū in diversa ra-  
ptari. Mortalium infelicissimus fit opportet  
eui unus pro , & præ omnibus nons sit , nec  
sufficit DEUS , fons omnis felicitatis.*

*Dominus meus , & DEUS meus ! Joan. 20.  
Tibi m' te excigit , qui totum te fecit . Aug.*



### III. D I E S.

#### *De Morte.*

**I.** Mortem sanè timet , imò & horretat ,  
qui vitam non vivit Christianam ; vita  
siquidem ei genii cura , & in deliciis exacta ,  
ob q'la immunitaria contrahit pænorum debita ;

quanta item ob occasiones bene agendi negligias; ex quibus in promptu erat salus: quam inde acerbus dolor, & implacabilis, quam triste enim est, DEO & vixisse inimicum, & invisum defungi? quam horribile illud momentum, quo temporarie voluptates clauduntur universae; cruciatum vero, nullis finienda saeculis, eternitas panditur.

II. Quemadmodum tunc vixisse optabis, ita nunc vive: quod tunc egisse, nunc age: Nunc inquam, salutis viam ingredere: nec ullam ad hoc particulam temporis supervacaniam reputa. Punctum, quod vivis, forte ultimum est: quod tibi hactenus vita prolixior, hoc quoque est tumulo proprius: tantoque mors instat celerius, quanto lentior venit.


III. Quantula nobis videbuntur esse eaducia omnia, cum nobis auferentur? Mortem consulamus; fida est, & vera consiliaria. Quod illa formae tam cultae species serviet: exagratum illud auri pondus, honores, deliciae? quid tunc iis futurum censemus? quod abitura, & cui bono? sicut faciunt nobis, dum vivimus; mo ituros apertam facie percellunt, & siderant: viventi pectiose sunt; vilia morienti. Utrius nobis judicio standum est? Heu! quam res nihil esse censemus omnia, quando veridica illa Iustralis cerei lux tibi affulget, quem mors tunc imminens tibi accendit: quam se um fortasse erit, aperiens ad illam lucem oculos, cæcitatem tam diu adamata clausos.

*Cor ita irritur, quid tibi potissimum timori futurum ejet, si nunc mori contingeret: timo-*

ri occurre, & salutem quamprin um in tuo pone. Quidquid agis per diem, tanquam ultimum age, nec unquam repetendum; in verendo prasertim Sacramentorum ius.

Uno tantum gradu ego morsque dividimur,  
Reg. 20.

*Christianus et astinum non est. Tertul.*



## IV. D I E S.

### De Judicio ultime.

I. Tu itaque tribunali, Christe iudex supre me, sistendus sum; & pro meritis vitæ in fragili corpore traductæ, justam subiturus sententiam? Hoe tam certa credo persuatione, ut si tubam audirem, canticu terribili mortuos excitantem.

II. Quo tunc animi sensu infinitas propè tur pitum, aut impiarum cogitatietum tetras ima gines intuebimur? quo scelerorum maculas operum? quo spretæ pudorem multiplicis gracie toleraturi? ò irati diem pavendum Judicii, qui nostra omnia in aperta exponet orbis totius luce; ipsosque intimos, & indeprehensos cor dis motus, suspiria levia, minimique morulas temporis, numerato censebit, imputabitque usque ad obolum, ne minimâ quidem condonations indulta particula? Quando igitur sua ju stos ægre servabit probitas, sceleris & impro bis quid tandem fiet?

III. Cujusmodi verò sententiae fulmen ab inexorabili vindice, obduratis perditorum capitibus inguet: *Ite malefici. Sed quò, Deus bone!* quò,

quò, formidande pravorum Arbiter, abs te ituri sunt? quem assignas execratis locum? a quo quis, à te sempiternū projectos, carcer cœpiet infelices? O tremendum judicium!

*Finge bicanimo sibi te Christo Judici; membra  
viam repele, cuius pudore culpae præsertim onerandus sis: & hoc etiam atque etiam recognita,  
certus, abstrusa quælibet scelerā; juris tunc  
publici evasura; nisi quæ penitentia matura  
deleverit.*

*Anie faciem indignationis ejus, quis sustinēbit?* Nahum. i.

*Vae! etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias.*

## V. D I E S.

### De Paradiso.

I. PARADISUS! ah magnum, & incomprehensæ beatitatis augustum nomen! quod malorum omnium minima etiam umbram, longè excludit; possessionem verò bonorum omnium, complexu immenso colligit; divinæ magnificentiae palmare opus; infinitum pretium Sangvinis Christi JESU; summa votorum, quæ eunque possunt ab homine fingi? & aliquid insuper votis illis augustiss., & maius.


II. DEUM clarè sua in luce cernere qualis est, suæque glorie fulgentem splendoribus dulciter mirari; eundem amare sine modo: tenere nullo amittendi metu, esse ipsam̄ DEI felicitate & gaudiis felicem: hæc mihi desideriorum unica me-

meta est. Quatriduum superest tristis exilii, & ecce æternum ejus sum, & cum eo, cuius fru-  
ar amore immortali.

III. Quid refert, hic quo jaceas loco, dum-  
modo illic in perpetuum cum JESU sis, & Ma-  
ria: satisinè jure querar & doleam, beatitatem  
infinitam, parvo emendam mihi labore esse, quam  
suis cruentibus Martyres profuse emptam, gra-  
tias sibi donatam putaverunt? Proh! beata æ-  
ternitas! ô nōrint homines, quanti sic!

*Conspiciendi DEL dulcibus flammis affidue  
animum vapora & incende; ad cœli aste-  
rium sordeat tibi terra. Hominis est, mente  
cœlestibus affixi, nec mirari quicquam ut gran-  
de, nec metuere ut ingens.*

*Satiabor, cum apparuerit gloria tua. Ps. 16.  
Si labor terret, merces invitet. Bern.*



## VI. D I E S.

### *De Inferno.*

I. *Quanto nos horrore nuda Inferorum obrne-  
ret mentio, si damnatorum audiremus  
lamentabiles ejulatus! suspirant, ejulant, ir-  
rugiunt inter rogos ardentes ignium æternorum.  
Se, snaque irati accusant, sicut, damnant  
sceleris; retractant, execrantur; sed sero do-  
lore. Unum id agunt eorum lacrymæ, ut flam-  
mas proitent, & acuant, quibus semper arturi  
sunt, sed nunquam, ah nunquam, absumen-  
di. O miserorum pœnitudo; quam sæva &  
cruelis! quam otiosa, & vacua!*

II. *A beatissimo summi boni aspergi in per-*  
*pe-*

petuum exulare; igneuri, cuius duntaxat umbra est ignis, quo utimur, excruciat malis omnibus nullo fine, nullius intervallo aut levamento solatii; habere demones nunquam non oculis & lateri affixos; desperatione rumpi, & rabie nunquam leniendā; Proh! hujusmodi vitæ crudelitatem & carnificinam!

III. Spreta suæ salutis momēta deplorant infelices; occasiones revocant, nunquam redituras; torquentur memoriâ voluptatum, in quibus patrimonium cœlestē decoxerunt: sed illos nihil æquè urit & lacinat, ut amissi suā culpā DEI recordatio pertinax, & reluctantibus oculis (velint, nolint) aberrans.

*Mente inferos subi; ex damnatis quære,  
quid illuc miseros præcipites egerit: ex iis co-  
gnosce, quā conditione illic vivant: ex iisdem  
discito cūm DEI timorem, tum periculi, ubi-  
que tibi proximè instantis.*

*Quis poterit habitare de vobis cum igne deve-  
rante? Isai. 33.*

*Ardor gehennæ, ardorem extinguit luxu-  
riæ. Isid. Pelus.*

## VII. D I E S.

### *De Pœnarum aeternitate.*

I. **A**N potest Iæsus DEI futor ulteriùs tendere, quām ut momenti vix unius voluptatem, aeternis iupliciis puniat? tamdiu vivere & du- rare miserum, quamdiu vivet, qui mori non potest; ô quām horrenda hæc moles est infelicitatis! parūmne sit, damnatos supremis torque-

ri & excruciatī suppliciis , si non etiam sempiternis ? Leve malum est aciculæ puncio ; at si perpetua , intolerabile. Quid igitur dolores & carnificinæ erunt , cùm fuerint æternæ ?

II. Proh sæva & atrox æternitas ! Postquam lacrymis suis , post singula tantum sœcula guttatum fusis , marium omnium abyssos damnatus impleverit ; tot millionibus annorum nihil plus egerit ad imminendos suos cruciatus , quām si nunc primūm cœpisset laniari : subsequetur semper eadē , infinitis spatiis instauranda dolorum acerbitas , eatenus cassa & vacua : quam ubi toties repetierit damnatus , quot frondes sylvæ habent , arenæ grana , & ær atomos , nihil omnino egerit ; nec unius quidem obli debitum videbit expunctum.

III. At enim damnatos non suæ modò æternūm devorant & cruciant pœnæ , sed ipsa quoque discerpit , & torquet æternitas. Hanc semper habent animis obversantcm ; ejus perpetuis morsibus dilaniantur : omnibus illorum tormentis ipsa intervenit , eaque immensūm auget : non enim possunt , quin vel inviti semper meminerint , nullum sibi sperari malorum tam immanium finem posse. O cogitatio ; ô sortis pavendæ conditio ! æternūm ardere , æternūm flere , æternā rabie discerpi. Ah ! si hæc nobis perinde in animum descendant , ut à damnatis cogitantur.

Vivacem bīc eccl̄um fidei , & certæ cōfessum persuasoris , pœnas à DEO culpis letalibus constitutas , immortales esse : credendum id saltem , quod nequit percipi : & nulla  
eſſe

esse potest Christiani calamitas major, quam si  
eternitatem pœnarum damnatis decretam,  
expectet propriâ fibi experientiâ probari.

Ibit homo in domum eternitatis Eccl. 18.

Periisse semel, eternum est, Aug. Incert.

## VIII. D I E S.

### *De memoria praesentia divine.*

I. CERNIT me præsentem DEUS præsens, perinde ut si præter me, quem cernat, in mundo nemo sit: quin imò adeit mihi intimè perspicacissimus ille oculus, quem nihil latet: & me eadem observat notatque acie, quâ se totum penetrat & capit: eadēque mentis scrutatur applicatione, ut si ab ipsa cesset contemplatione sui. Hoc fide certissimâ reneo: & adoro mihi intimè præsentem, vitæquè meæ articulis omnibus intentum, DEUM meum.

II. Probrosius mihi est, ac centuplo turpius, conscientię meæ maculosæ dedecora, unius DEI sanctissimis oculis patere, quam universorum mortalium indignationi aut contemptui exponi. Audésne tu in os Regis Regum, quod coram vilissimo famulo non ausis? Coxitatis est stupidissimæ ac proorsus insanæ, hominum duntaxat oculos revereri; DEI autem oculum tam nihil facere.


III. Nullæ vel palpabiles noctium tenebræ, à Solis primarii luce nos satis defendunt; nullius secessus longinquitas à DEI occultat maiestate. Quocunque homines fuderis, occurreret illis DEUS.

*Siste te divinis conspectibus; & cave, ne  
B quid*

*quid in te DEUS observet, quo illi displices, aſ-  
vesce DEUM intueri praesentem: potens enim  
adversus peccata frænum est. DEUS adest &  
videt; arbiter & vindex.*

*Oculi mei semper ad Dominum. Psal. 24.*

*Si peccare vis, quære ubi te non videat DE-  
US, & fac quod vis. Aug.*



## IX. D I E S.

### *De sui ipsius diffidentia.*

I. **S**USpectus tibi nemo gravius sit, quam tu ipse. Sua cuique magis expavescenda imbecillitas est, quam quicquid illi terrible inferorum tota minetur crudelitas, Verbo levi, oculi conjectu, suspirio tacito sternimur, & perimus. Cedit Adamus; DEI ac sui obliviscitur Salamon; Christum ejurat Petrus. Meticis quid fiet, & arundinibus, si flatu levissimo dejiciuntur Cedri?

II. Plerumque vincimur, ne præviâ quidem impugnatione: conjuratas in nostram perniciem circumferimus semper cupiditates, & sensus animæ proditores. Nullus capitalior nobis hostis est, quam ipsum cor nostrum: quos non domuerat tyrannorum rabies, illos cupiditates suæ evertunt. Cave sis, ne tibi ipsi fias unquam familiarior.


III. Sanctissimos quosque terruit reputata comitatem DEO animæ suæ conditio, & status: anchoretas magnos, & annosis defunctos portentis æcumnis, divini judicii expectatio incer-

ta, iis timoribus suspendit & perculit, ut quales essent, quōque hinc aliquando migraturi, gementes ignorarent. Nam haud raro, etiam qui diu sancte vixerunt, puncto temporis mutantur in dæmones, & damnantur.

Dic ergo cum S. Filippo Neri: A me hodie Christe caveto felicitè; nam si me descris, mēque mihi permittis, proditor tui fam.

*Occasiones, quas vitare oportet, longè ante prospice; neque dubitn, illas majoris esse peri- puli, quæ minus videntur metuenda.*

*Qui se existimatflare, videat, ne cedat.*  
I. Cor. 10.

*Quamvis sis in tuto, noli esse securus.* Bern.  


## X. D I E S.

### *De horrore peccati.*

**I.** DEUM perdere, quam portentosa res, & formidabilis jactura! quos debitoris inopia, litis amissæ infelicitas, casusve alius suis bonis exxit, eos in amentiam agit dolor: quanto acerbius detrimentum est, immensum & infinitum bonum amisisse? infelix anima, quæ suo aliquo peccato DEUM perdit: sed absque ulla comparatione miserior, quæ hanc DEI amissi jacturam flocci facit, neque estimat.

Pro! quam trita, & usu familiaris; sed quam pariter ignota mortalibus res est, peccatum! indēne possit lucrum, jocus, ac voluptas credi, quo DEI inimicus sis, & ira illius nunquam expiabilis victima? DEUS quanquam naturā suā totus ac merus amor est, peccatum tamen im-

mensō odio detestatur. Qui leviter odit, leve malum optat inimico: qui capitali odio illum odit, mortem illi cupit, & extrema quæque.

Quis igitur satis percipiet, vel eloquetur, quid sit immensis à DEO odiis peti? Hoc si non estimamus & expavescimus odium, saxa sumus & stipites. Sempiternis oppignorati flammis, an etiam num malorum tantorum sensum non habemus?

III. Utique horrendum mons Calvariae præbet speculum: sed horribilis anima peccatore saucia, quam Christus in cruce moriens: quando tota illi, & unica moriendi causa peccatum fuit. Nam ut vires illi, & vitam adiiceret, ipse mori elegit: illudque magis, quam mortem suam odit.

*Veraci dolore, & serio crimina insectare:  
Sed est divinæ gratiæ jactura, quæ possit larynis reparari.*

Quem fructum habuisti in his, in quibus nunc erubescitis? Ad Rom. 6.

Vt animæ audi! quæ speravit, si à te dEUS, recessisset, melius aliquid aliud habitus. Augst.



## XI. D I E S.

### *De eura sua salutis:*

I. Proprium istud hominis negotium est. Cetera non pluris debent hominis interesse, quam si crepundia aut quisquilia forent. Consilia Principum; aulicorum rixosi ambitus; apparatus motusque bellorum; tam perplexa, &

mul-

multiplex undeque negotiatio, &c. quid nisi formicarum labor sunt, & nugae puerorum unica est sapiens & dives negotiatio, DÉO simulati, & salutem suam in seculo ponere. Hoe scilicet hominis, & supremum bonum est; haec tota felicitas. E contra profligatae abdicatae rationis certissimum signum est, illa negligere, quæ secum tanti periculi tantam molem trahunt; progressus tam lubricos; tam dubios exitus; & si malecedant irreparabiles. Tantum igitur studii & laboris tibi summis, ut vivas; tam parvum, ut bene ac beatè vivas? Ad fingendam fortunam labor tam anxious; ad firmandam salutem tam nullus suscipitur? quid hoc cœcitatibus, quid amentiæ est?

*Quid proficit boni nisi mundum lucet in universum, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Matth. 16.*

Nostram profine suo salutem habent, quæcumque à DÉO sunt condita. Ab illa si exerramus, frustra sunt omnia, cassa, atque irrita. Sine fructu est lux solis, & terræ fecunditas, & custodia Beatarum mentium homini salutis suæ negotium spernenti. Jure cum eo in nihilum deberent omnia redigi. Quippe indignus vitâ est, qui DÉO non vivit.

III. Ut tamen fieri videmus, passim ultima curarum hominibus salutis cura est: præter hanc confusa studiose promoventur: datur pecunia foris, colono ager, agro novus limes, & quaestuosior: damna omnia deflentur, præter unum, quod, ubi semel evenit, remedio caret. Videatur noster nihil ad nos animus atti-

nere; quin imò prorsus perinde, ac si esset alterius, quem odio prosequimur inexorabilis; aut bruti alicojus, aut nullius potius: velut enim anima careamus, ad hoc illam tantum gerimus, ut perdamus.

*Sit tibi salutis, quanto cunque pretio seruanda constans & immobile propositum. Qui cunque tuam periclitatitur constantiam, tu responderae, quod Principi cuidam, iugustum ab eo quidpiam roganti, Benedictus XII. P. M. renuntiari jussit; duas animas si haberem, ultro Principi unam, & libenter darem: per perdere, quam solam habeo, nec licet, nec habet.*

*Unum est necessarium. Joan. 10.*

*Ubi si lutis damnum est, illic utique jam lucrum nullum est. Eusebius.*



## XII. D I E S.

### *De conversione ad DEUM minime differenda.*

**I.** *L*entiùs ad DEUM regredior, velut ejus manum sicutque res gus metuam. Usq; adeōne malum est, DEI esse: adeō probro um vitæ probrosæ finem honestum imponere? An potest bonitas infinitum amabilis & pulchra, fortasse amari nimium? Cras, inquis; certò cras finem turpitudinai meæ faciam. Quidni potius hodie? cur non modò? An forte cras minore cum sensu rumpentur, aut sponte solventur vincula tua, quibus irretitus es? aut dociliorem bonæ frugis cras habebis animum?

*Neutio;*

Neutiquam sanè. Id ipsum, quod enervat absumitque omnia, tempus infigit altius, & corroborat vitiorum habitus: nec res alia morbos adeò curationis expertes facit, uti remediorum procrastinatio.

II. Quæ, malum! nos fistis remora, quō minus sequamur DEUM magnis ad poenitentiam vocibus provocantem? quid tandem nos territat? Laboriosa est vitæ mutatio; quis neget, aut quis dissimulet? sed potest quicquam Christiano difficile esse, aut laboriosum, Christum colenti crucifixum, & Paradisum expectanti? si quid in hoc agone timere possumus, illud sanè timeamus, quod Divinâ gratiâ tam segniter ac male utamur.

III. Difieram, aīs, in futurum! futuri nempe es Dominus, & tuo id arbitrio volvitur? præstolatur, fateor, tuum redditum DEUS; hoc sacræ assentunt paginæ: sed tacent quamdiu; & quantum superflit tibi temporis ad vivendum. Qui certum veniæ facit poenitentem, certum crastini non facit peccatorem. Suppetet forte conversioni tempus: at forte non suppetet. Esse planè amentem oportet, qui fortuito momento salutem sempiternam committit.

Tecum ipse recole, quamdiu sit, ex quo suum (id est, seipsum) flagitanti DEO procrastinas reddere; & ad tot, quibus illi obstricetus es, debita rides, scirèque dormis. Igitur nunc demum ad periculi, in quo jaces, formidabilem memoriam evigila, seriòque coborresce.

Dixi, nunc cœpi. Psal. 76.

*Nulla fatis magna ſecuritas, ubi periclitatur aeternitas.* Greg.

### XIII. D I E S.

*De ſpernendis hominum iudiciis.*

I. **L**oquuntur, & garriunt homines. Sine ſis, gariant, & in gratiam ſtultorum cave, ut velis desipere. At enim de te quos dabis sermones? dicent, te pluris DEUM, quam homines facere: laudabunt tacite conſilium tuum, etiam maximè diſſoluti, & apud te omnino ſtant, probè te reſlēque agere. Quantum enq; verò obloquantur, quid intereſt, dummodo tu officio ſatisfacias, & DEO.

II. Quid hoc ſocordis & vilissimæ ignavie est, Evangelium erubefcere? cūmque vulgo homines honori ducant, Principum geſtare ſymbola & colores; Christi tefſeram, & inſignia occultare: & refugere Christi ſervum eſſe, dicique? abjectiſſimi quique opifices, arte ſuā palam gloriautur; & Christianiſmi pudet Christianos? Erubescet ſane Christus de iis coram Patre ſuo, quos Christi puduerit coram hominibus.

III. Heu! Num habet erubendum aliiquid adoranda Christi ianuas? notaturne aliquo infamia nævo, probumne eſt, ejus dictata & exempla ſedari? An non potius propudiosum eſt, impudicè & impiè vivere? & tamen id tibi glorioſum puitas: è contra probi hominis titulum tibi dedecori vertis? At enim ita res habet: (Quicquid deblatteret, & obganniat

pr-

pravum vulgus) honestissimi sunt inter homines, & ingenii supra omnes eximie nobilis, quicunque DEO fideliorē dant operam, & animosius apertiūsque illi sua obsequia palām profitentur.

*In ierrogo ego te, tūque ipse temet interroga, num te illud inane mundi simulacrum (Rumor) interdum terreat? & ab hominis Christiani officiis te possit avertere?*

Non erubesco Evangelium. Rom. I.

*Quid times fronti tuae, quam signo crucis armasti? Aug.*

## XIV. D I E S.

### *De usu Divinae gratiae.*

I. Nullum notis, etiam primae gratiae minimum momentum, consertur à DEO, nisi Christi emptum sanguine, ejusque in cruce merientis precibus, ab æterno Patre uobis impetratum. Q. i bonam cogitationem, quam sibi sentit calitus immitti, nullo à profanis discrimine negligit; qui instinctus præfocat vitæ melioris; Christi JESU proculcat Sangvinem, & mortis ejus fructum evacuat.


II. Multis gravibusque nominibus obstricti DEO tenemur gratiae causâ: non ejus solum, quam uobis tribuit; sed illius etiam, quam destinaverat tribuere, si natus esset non refractarius, nec socordes illius trapezitas. Scilicet tametsi Solis radiis senestras occludamus, nihilominus ipsi debitores sumus lucis illius, quam ultiro à uobis excludimus.

III. Viginti fortassis anni sunt, ex quo umeris à DEO interius ad ea capessenda, quæ etiam nunc omittis, & refugis. Siccine autem decet, tamdiu in schola salutis Spiritum Sanctum audire docentem, solicitantem, arguentem, minantem; & frustra, nullo fructu, nullo emolumento audire? Meminerimus, DEUM creditorem esse, qui ab omnibus credita exigit talenta. Quodsi non exemplò satisfacimus solutionem flagitanti, grandi nos fœnori obligat, & in immensum paulatim excrescenti. Denique certa gratiæ, quam tibi largiri velit, & peccatorum, quæ indulgenter permittere, mensura in cœlo fixa est: cujus ubi metam attigeris, DEUM à te avertis, nunquam redditurum.

*Agnosce & diligenda DEI in collatis tibi tot, ac tam magnis gratiæ talentis munificentiam: quicque eadem infideliter usurpaveris, veniam roga: time, ne si post hac perges te illi immorigerum prebere, te in perpetuum deserat.*

*Cui multum datum est, multum queretur ab eo. Luc. 12.*

*Gratiam sequitur iudicium. Basil.*



## XV. D I E S.

### *De usu temporis.*

**I**nter vitæ hujus miseras non modiocri fletu lugenda est jactura temporis. Curtum est ac breve hoc ævi, quod vivimus; pretiosa sunt illius momenta: & tamen id ita vivimus, velet nunquam morituri: ita traducimus, tanquam ad otium in eo positi.


II. Heu! si cuipiam damnatorum vel pun-  
quum illius temporis, quod nunc dilapido tam  
miserè, & perdo, DEUS indulgeat, quos non  
insecros, & ignes ille extingveret? Nullum  
vitæ momentum est, cui non in promptu sit  
felicitatis beatæ, si volo, lucrum. Cur ergo,  
quando nullum omittimus in vita ditescendi, aut  
voluptatis consecrandæ articulum; cur inquā,  
ad occasiones parandæ augendæq; salutis assidu-  
as, ægrè interdum oculos advertimus?

III. Non est dies ille optimus, & sumē fave-  
stus, quo tua negotia & lucra quām prosperrimè  
promovisti; sed quo merita tua, tuæque a-  
pud DEUM gratiæ censum auxisti. Sic igitur  
age ac vive, ut quocunque te punto temporis  
quis roget, quid agas? possis veraciter dicere:  
DEO ac saluti meæ vivo, ac labore.

*Renova conceptum DEO placandi proposi-  
tum: idque pro certissimo habe, quicquid tem-  
poris extra salutis negotium insumis, tibi pe-  
nire.*

*Nemini DEUS dedit spatium peccandi.*  
*Eccles. 15.*

*Vacat tibi, ut Philosophus sis; non vacat,  
ut Christianus sis?* Paulin.



## XVI. D I E S.

### *De Sacramentorum usu.*

I. **S**Acramenta, sunt ductus avici, quibus in-  
fluit in nos cum Christi meritis, Christi  
Sangvis: Fontes sunt felicitatis nostræ prima-  
riæ. Sed ea dum perperam usurpamus, Christi  
me-

meritis injuriam facimus, & salutis viam nobis  
præcludimus.


II. Iis porrò utuntur perperam, qui dum ad illa pravè animo affecti veniunt, omnem eorum vim elidunt, & mortem ex iis pro vita referunt. Quanta hinc nobis metuendi causa; ubi ex tot confessionibus tam parvus emendationis fructus; ab iterato tam sèpè divino Epulo, trivialis vitæ, & solutioris extat continua-  
tio? Christianus illo vel semel ritè pastus, martyrio ferendo pat est: nunc tu tete introspice.

III. Quod in accessu ad vitalem mensam potissimum terrere te debet, est illa Pauli vox: Si absque serio admissionum dolose accedimus, judicium nos, & mortē manducare, nostrāmque nobis damnationem quodammodo incorporare. Quas igitur pœnas Christi Corpus, tam crebro sacrilegā manducatione violatum, à nobis reposceret?

*Observa singillatim, quid precipue deliri-  
quas confitendo, & communicando: illudque  
piæ sapientiæque animæ exemplum emulare,  
quæ nunquam divisa adibat mysteria, nisi  
velut tunc postremum actura, quod agebat.*

*Probet autem seipsum homo. I. Cor. 15.*

*Pœnitentibus dico, quid prodest, quia bu-  
niliamini, si non mutamini? Aug.*



## XVII. D I E S.

*De adorabili Missa Sacrificio.*

I. **M**issa, peracti semel in Cruce Sacrificii quo-  
tidiana instauratio est. Quod oīū mun-  
do-

do spectaculum Calvariae theatrum dedit, idem nostris in templis perpetuo editur. Nihil potes DEO facere gratius, quam si tanti Sacrificii majestatem praesens venereris. Quod ut christiane facias, iunge animi sensum cum sacrificante; & cum illo una, aeterno Patri Filium ejus sacrificia: aut Christi potius Cordi mitissimo cor tuum infere, ac DEO simul utrumque offer, & incende.

II. Juges sunt, quibus DEI iram proritamus, offensae nostrae; neque suppliciis atrocissimis inferiores: egerimus proinde gratiam; ast unde nunc inopiae nostrae, nisi ex Filii ejus perpetrationibus subsidium petemus, quoniam accensum illius contra nos iracundiam mitigemus? Nulla Sanctorum poenitentium auferitas, nulla Martyrum tormenta, nullae hujus mundi rerumque possunt eorum nominum, quae apud DEUM contraximus, vel minimum apicem delere, nisi Sacrificio Crucis jungantur, & meritis, quae per Sacrificium Missae nobis applicantur, nostraque in jura transeunt.


III. Non sanè toleraret DEUS, ubique terrarum tot ac tam immanibus sceleribus se offendit, nisi similiter ubique Filii sui Sangvine placare se videret, tam charae aspectus victimae excutit irato tela de manibus. Si nostra magnis vocibus vindictam expostulant crima, majori clamore IESU Christi Sangvis misericordiam extorquet. Adoremus ergo victimam nostram Christum; adeamus saepius ad ejus aras, nostraque illic provoluti obsequia ei reddamus. Quantum id ipsius juxta, ac nostrum esse dede-

sus oportet, quod tam sœpe solitarius vacuis  
in templis relinquitur, quando interim aulæ  
Principum salutatoribus stipantur?

*Legem banc tibi firmam iudicito, audi-  
endi quotidie Sacri; sed eā, quæ debetur tan-  
to Sacrificio, reverentia, ac metu: ad hoc  
finge te in Calvarium montem scandere, Chri-  
sti pro te morientis spectatorem futurum.*

*In omni loco sacrificatur, & offertur no-  
mini meo oblatio munda. Malach. I.*

*Tunc verè Christus pro nobis hostia erit  
DEO, cùm nosmetipso hostiam fecerimus. Gr.*



## XVII. D I E S.

### *De Eleemosyna.*

I. *Quantum debemus Christo JESU, qui sub-  
stitutis suo loco egenis, potestatem no-  
bis tribuit, bene de se, ac liberaliter meren-  
di? In Eucharistiae Venerabili Sacramento ma-  
nens Christus, nostras expectat, & excipit ado-  
rationes, suisque se in pabulum præbet: in  
pauperibus manens, suorum opperitur ac mo-  
vet commiserationem; jubetque ab iis se ju-  
vari, & pasci. Ah! si hoc illi negas, infelix  
anime! Projicis cani tuo famelico panem; esu-  
rienti Christo negas? ô te iniquum & barba-  
rum!*

II. *Quod viris datur principibus, & magnis,  
ut plurimum perditur: at verò redit semper  
grandi cum fœnore, quod DEO datur; etiam  
aqua scyphus. Mille familias opulentas alea,*


comessatio, & luxus everterunt; ne unam quidem misericordia in egentes vel debilitavit, vel succidit. Ars est arcana, & indubitata facienda rei, beneficentia in egenos.

III. Ex beneficentia huius mensura & modo, de cuiusque mortalium sorte ancipiuntur (morte, aut vita sempiterna) ultimum decernet, pronuntiabitque judicium. Quid illic tot divites epulones dicent? quā depulsione objecta à pauperibus resellent? Quid Christi sententiæ opponent, duritiem peccoris faxe m probranti? *Ite maledicti in ignem aeternum: esuriwi, panem mihi negasti; nudus fui, veste nuditatem meam non operustis, &c.* Durities cordis in pauperein præjudicium est damnandi: pignus salutis, vera piæque commiseratio. Nobis enim quid possit Judex objicere, nostris vestibus testus, pane nostro resclus & vegetus, pecuniâ nostrâ & necessariis instructus? Nihil à supremo timendum nobis est tribunali, si causæ patronos habuerimus pauperes.

*Perpende igitur, qualem te exhibere sis solitus pauperi? an ut ipsimet Christo? an ut legitimo creditori, cui ex anima cupias satisfactionem?*

*Foeneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Prov. 19.

*Date omnibus: nè forte, cui non dederisti, ipse sis Christus.* Aug.



## XIX. D I E S.

*De exempli officio.*

I. Plures egit in ruinam exempli pravitas ; quām proborum sanctimonia ad frugem bonam perduxit. Si nobis nunc paterent infestū , extor millibus damnatorum vix unum inviremus , qui non vociferaretur fremens : illius cujusdam exemplo perii. Prō , quanta culpæ immanitas hīc subest : quanta poenarum? Qui diligere jubemur inimicos ; insontibus , & mali de nobis nihil commeritis , ut quid tamquam malorum inferimus ? cuius fuit infelicitas tam cruenta , ut animis perderet Christi Sangvine redemptas ? quid non illi sœvum , & impibile timendum ? vel quæ possit nobis restare ad DEUM fiducia , postquam illi animarum prædam , tam ærumnoſo , tantisque partam pretio , ahripiimus ?

II. Vos ego alloquor , parentes ; qui exemplis parūm Christianis , viam filiis vestris præritis ad inferos. Præstabat illos nunquam ex vobis nasci ; nec vos illis auctores vitæ suisse , ut pote morti per vos auctorandis , & quidem perpetuae. Quid iis dicturi , & repensuri estis cùm suæ beatitatis patrimonium à vobis reposcent ?

III. Hortanti morem geramus Apostolo : Christum induamur ; illius spiritu agamur ; moveamur ductu ; splendeamus virtutum dotibus : ut , quisquis in nos aspectum conjecterit , Christi per nos meminerit. Non minus ad proximorum salutem conseret castigatae vitæ specta-

Qata integritas, quam dissolutæ improbitas contulerit ad damnationem.

*Aiuerte animum, quam teneas vivendi rationem: num re quāpiam innocentiae alienæ offensioni sis: & pete à DEO criminum veniam, quorum aliis ansam præbuisti. An tam levius nobis est propriorum peccatorum sarcina, ut premi velimus etiam alienis?*

*Vx homini, per quem scandalum venit!*  
Matth. 8.

*Pro tantis reus quisque est, quantos iradebris ad reatum.* Salvian.

## XX. D I E S.

### *De Tolerantia.*

1. **N**ON sumus ad hoc Christiani fæsi, ut divitiis fruamur, & voluptatibus. In proclivem hunc, & abjectum finem, neutquam nobis opus Christianismo fuit: suo tantum mundus nativo ponderi, opinioni, & cupiditati fuerat permittendus. Christiani vita, detestatio est admissarum in DEUM offensarum, & perpetua violentaque de cupiditatibus Victoria. Vel igitur diligenda nobis est Christi crux, vel fides ejuranda.

Quid enim docet nos Christi Evangelium? *Beati qui lugent, Vx vobis divitibus, qui nunc habetis consolationem vestram &c.* Et hoc quidem Spiritus Sancti i ioma clarum videtur esse, omnibusque intelligi: revera tamen putari possit solis nunc Barbaris perspicuum: cuius insinu ad martyria procurrunt Japones &

Canadenses Christiani: at verò ex Evangelii Europæ symbolo tantum non omnino excidit iste de perpetiendis adversis rebus articulus. Satin certò nobis creditur felicitas in lacrymis sita? infelicitas in opulentia & voluptatibus? & tamen hoc effatum religionis nostræ, eadem tenendum est, neque minus certâ persuasione, quam Augustissimæ Trinitatis, & incorporati DEI Mysterium.

III. Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam: Nemo beatorum nisi hæc viâ incœlum evasit, quod his, & Christo tanti letit, hoc nempe per inertiam ac desidiam nobis obventurum putamus? Crux est Electorum sors, & character: qui nullam ejus habet, nec habere sustinet partem, reprobi notâ inustum se noverit. Necessariò enim aut hic, aut illie adversa nobis ferenda sunt.

Adora Christum de Cruce pendentem? ardentèque roga, ut te in partem aliquam sua crucis admissat; unde pariter in gloria sua societatem admittaris.

*Qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non est me dignus.* LUC. 14.

Pudeat, sub spinoso capite, membrum fieri delicatum. Bern.



### • XXI. D I E S.

*De conformatione voluntatis propriæ cum divine.*

I. **S**ummum hominis bonum est, idem cum suo Conditore velle. Hac una voluntate,

ceu

ceu compendio , vera sanctitas continetur : aliunde sancti nomen & decus , ullus Sanctorum adeptus est , nisi privati arbitrii consensione cum divino , Quidquid præterea virtutum paraveris , nec solidè pious es , nec religiosus , si ista carueris.

II. Qui DEI nutibns ægriùs acquiescit , DEI jura tacite sibi usurpat . Optare enim , res alio cursu , quām quo reguntur , agi , quid est aliud , quām DEUM nec Dominum velle , nee Arbitrum pati ? Nulli nos casus incurvant DEI iñjussu : prorsus autem iniquum est , ut nobis displiceat , quod Sapientiæ placuit infinitæ .

III. Quæcunque accidunt , à DEO disponuntur in utilitatem mortalium . Etsi ferrò jugulum meum petat , certus sum sum , ejus manum & ferrum , miti paternóque affectu regi . Quid igitur metuim ab amante ? aut velle quid possum , nisi quod ipse vult ? Absit ergo , ut deinceps de æstu quærar , aut frigore ; de lite perdita ; de morbo , quo teneor . Omnia hæc naturam mutant , dum per DEI manus ad nos perveniunt : hâc enim viâ , transmittentis beneficentiam induunt . Vulgo quidem appellantur adversa , calamitates , miseriæ ; revera autem sunt casus fortunati , & faventis cœli singulæria munera , si ad providentiæ divinæ lucem , finésque spectentur .

*Tuis ergo te lubeus arbitriis exue , ac DEUM precare , ut à te , ac de te fiat , quocunque ipse voluerit .*

Ita Pater , quia sic placitum fuit ante se .  
Matth. 11.

*Ille placet Deo , cui placet Deus . Aug.* XXII.

## XXII. D I E S.

*De statuenda in DEO fiducia.*

I. V Aletudinem Medico; Patrono litem; vitam quoque, si cæcus es, puerο; imò canis ductui committis; tui verò curam DEO ægrè, aut timidè permittes?

II. Ne formicas quidem & culices negligit providentiae supremæ bonitas, ipso Orbe vastior: quomodo igitur, qui ad imaginem DEI conditus, ad beatitudinem educatus, Christi Sanguine emptus est, se negligi posse metuat? Alii DEUS ignaros suæ legis & nominis populos; bonis suis cumulat sacrilegos divinitatis suæ contemptores? quid igitur Christianorum causâ non agat, à quibus amatur, & colitur?

III. Rationibus nostris haud paulò tutius, meliusque consulitur, si eas in manus DEI penitus resignemus quam in nostras. Sinamus, ut ipse illas curet. Pater nobis simul est, & Mater: facit utriusque nominis maxima tenetudo, ut iis incumbat quam optimè promovendis. Suam nobis obstrinxit tutelam; promissa non fallet: priusque in nihilum terra, quam ipse probos perire patiatur, suo auxilio, tutelique confisos.

*Interrogetur hic, examineturque animus, num fiduciā tantā nitatur, que respondeat profusissimae DEI bonitati, & infinitis Christi meritis.*

DEUS meus es tu; in manibus tuis sortes meæ. Psal. 30

*Projice te in DEUM: non se substrahet, ut cadas. Aug.*

XXIV.

XXIII. D I E S.

*De Amore in DEUM.*

I. **E**O usque nos dilexit DEUS, ut Filium suum unigenitum nobis daret, datus omnino, si quid pretiosius habuisset. Potuitne majori pretio nostrum erga se amorem emere? Suum vel mediocris bonitas philtrum, cur ametur, circumfert: infinita igitur, nullisque terminis circumscripta DEI summi Bonitas, & in nos profusissima Charitas, qui possit à me non amari? An esse amabilis definit, quod metà careat amabilitatis?

II. Præcipit nobis sui amorem DEUS, an iusto severius, & onerosius est hoc præceptum de pulchritudine diligenda, quæ infinitas habet illecebras, & amoris causas? Toto corde se amari præcipit: totas scilicet cordis exigui angustias DEO immenso dare, nimium quis putet? Totum qui dicit, nihil excipit: nisi totum dederò, nihil dedi.


III. Si quis statui æternitati finis ac meta posset, ne ipsis quidem inferorum pœnis (vel ipso fatente diabolo) male & caro emeretur facultas & gratia DEUM amandi: felicemque se quisvis damnatorum censeret, si post cruciatus sæculorum innumerabilem, obtineret DEI saltem semel amandi potestatem. Et ecce, nunc in manu mea est, & labore propè nullo id assequi. Hoc si nolo, dum possum, malum mihi volo ipso inferno pestilentius.

*Omnem itaque, præter DEI unius, amorem*

rem abnega; omnibus nuntium remitte: &  
quantâ vi potes, animum adige, ut præ om-  
nibus DEUM amet.

Si charitatem non habuero, nihil sum.  
1. Cor. 23.

Si amare pigebat, redamare non pigebat. Au-



## XXIV. D I E S.

### *De Amore in Christum JESUM.*

I. **T**Am caro nihil unquam emptum est, ut homi-  
nis anima: ejus pretium fuit DEUS. Cum  
eritis fueram inferos; poscebat dæmon, posce-  
bant universa vindictam, cui me criminis obno-  
xiū fecerant. Spretis eorum justis clamoribus,  
JESUS ad unam attendit mitissimi peccoris sui  
vocem, misericordiam pro me postulantis, &  
veniam. Misertus mei est; & hanc mihi toto,  
quantus erat, Sanguine redemit. Esto, DEI  
non forem Creatoris, & nullo ad ipsum jure  
pertinerem; Salvatoris tamen DEI castrense pe-  
culium, & possessio sum. Itaque pro salute  
saltem restaurata animum gratum, beneficiisq;  
memorem ei deheo, si minus vitam illi valeo  
pro vita rependere. Quis tantopere amanti,  
amorem negare mutuum, sine barbaro & ex-  
crabili peccatore valeat?

II. Cani nudum os, mihique inutile, de-  
mens meæ analæcis projicio: rependit mihi il-  
le escam, licet exsuccam, amore, blanditiis,  
fidi custodia: Congerit in me dona sua Chri-  
stus, Sangvinem, merita, thesauros pretiis  
emptos inestimabili; & tamen ecce sto immo-


bilis, ac saxe durior. Disce, ô ingratum caput. & naturæ abortivum, ex tua bestia, aliquam saltem officii tui partem: magister tibi, & judex sit canis tuus. Nisi ejus exemplo discis sapere, profectò ipsis bestiis peiores, atque immani-r.

III. Animum gerimus in amicos tam tenerū, & sensum ad illorum beneficia tam memorem: num scilicet JESU Christi amorem munificum & immensum, durius pectoris plus quam barbarā pensamus? Et tamen quis illorum pro nobis in crucem suffixus est?

*Christi JESU amorem à Christo flagita. Nisi per illum obtineri non potest.*

*Si quis non amat Christum JESUM, sit antebema. I. Cor. 16.*

*Si totum me debo pro facto, quid addam pro refecto, & hoc modo refecto? Bern.*



## XXV. D I E S.

### *De Amore in Proximos.*

I. **F**also ubi de amore in DEUM blanditur, qui fratrem non amat: frustra est quicquid boni agit; séque ipsemet fallit, si fratrem non diligit. Execratur quoque martyrium DEUS, si destituitur charitate.

II. *Hoc est, inquit JESUS, praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Jo-an. 15. Ponamus, hominibus nihil inesse amabile: at hoc solum, quod illos Christus amare dignatus est, parvumne sufficit, ut eos intimè diligam? Nimiopere deliciatus sim oportet, & more-*


morosioris fastidij, si mihi non sapit, quod  
Christo sapuit; & quod ille plus quam seipsum  
adamavit.

III. Prosecdò nondum Christi amore illos am-  
plexor, quorum causā nolo vitam libenter, ac  
bona perdere. Rarum quidem est inter Christianos,  
fateor, hoc decus tam arduæ, & exquisi-  
tæ pietatis: est tamen & Christi proprium, &  
Christianis omnibus imperatum.

*Sensus igitur concipe, ac fove teneros, in-  
censi erga illos amoris, quos tantā suā cha-  
ritate dignos reputavit Christus: & hoc tibi  
constanter fortiterque impera, ne re ulla pro-  
ximum unquam lēdas.*

*Qui diligit proximum, legem implevit.*  
Roman. 13.

*Dilectio sola discernit inter filios DEI, &  
filios diaboli.* Ang.



## XXVI. D I E S.

### *De inimicis diligendis.*

I. **C**hristianismo tam altè est insita lex sancti  
in omnes amoris, ut ne hostes excludi à  
se patiatur. Hanc nobis Christus posuit invio-  
labilem: hanc exemplo, & factis præivit. Ju-  
bet DEUS; & durum censemus jubentis impe-  
rium? Mortein soam DEUS carnificibus con-  
donat; nos ne levem quidem fratribus offendiculam remittemus?

II. Nullus veniae locus est, veniam hostibus  
neganti. De nostro exemplo, quod agat, DE-  
US sumit: prout inimico parcimus, ita Chri-  
stus

stus nobis Christianus vindictam appetens, quoties precationem Dominicam recitat, toties quasi ex pacto, iram Numinis, ultricemque ejus manu in sui ipsius caput armat provocatque. Aut ergo positis inimiciis parendum nobis est precepto Dñi (*diligite inimicos vestros*) aut saluti renunciandum, si obstinatè eos odisse, & pro pace insidias illis struere ad nos ubi ubi vindicandos, fixum animo habuerimus.

III. Christianorum par mutuo sibi infersum, videtur religiones sectari contrarias. Quo pacto enim, qui ferre aspectus mutuos non possunt, adoraturi sunt ad idem altare, sumpturi ex eadem mensa cibum, unum sibi svasuri, & expectaturi paradisum? Solos dæmones odisse licet: oderunt se quoque invicem damnati: est enim illis hoc ad pœnam inflictum, ut se alternis, & junctis lacerent odiis. Froinde nullum est certius obventuræ damnationis argumentum, tenaci in hostes odio: isto enim imbutus scelere animus characterem fronti inustum gerit, quo dignoscitur inferni esse mancipium.

Tete nunc ipius explora penitus corā Christo de cruce pendente: & si quid in te à fraterno amore alienum, aut frigidum senties, id huiusmodi ē Christi vulneribus igne accendere, & absumere contende.

*Qui odit fratrem suum homicida est. 1. Jo. 4.*

*Vindicari vis Christianus? monendum visdicatus est Christus. Aug.*

## XXVII. D I E S.

D

Do

*De Christi JESU imitatione.*

I. Similitudinis Divinæ præpostero ambitu, primus homo se subiisque perdidit. Ejus posteris nulla est ad salutem via alia, ut ambitu meliori, Christum DEI Filium æmulentur: qui mox ab Incarnatione sua speculum se nobis, & exemplar proposuit. Huic archetypo omnes assimilari necesse est: nam ipse Electorum est caput. At reproborum certissima nota est, ejus imaginem non referre.

II. Tam sollicitè mores ritusque civitatis observantur, vestium peregrinitas præavidè excipitur; histronum ludis & spectaculis fora & areæ aptantur; ad stentorea eorum theatra aribus, oculis, totis denique sensibus gregatim accurritur; ad Christi vitam, ejusque regulas vix sunt, qui animum advertant. Ex Principi modo & moribus se fingunt aulici; Philosophorum non modò placita, sed vel naturales nævos discipuli quandoque sectati sunt: ego num seriam debitamque curam ad Filii DEI, virtutumque ipsius imitationem hucusque unquam adhibui? an non erubescere debo, me pedem haecenus vix movisse, ut eum sequerer! vah! quam probosum illi est, eum quidem nobis præcedere; sed qui eum comitetur, esse neminem?

III. Quæ fronte adstabo supremo Judici, componenti me cum meo archetypo? vitam ejus cum mea? demissionem ejus cum meo fastu & supercilie; cum meo luxu & deliciis ipsius vulnera: mansuetudinem cum iracundia? &c. Ma-  
le quis securam putat suam salutem eò solūm,  
quis

quia Christianum se profetetur : gloria quidem hæc professio est, illustre nomen, si mores nomini, professioni vita congruat. Verum, Christianus, & tamen Christianismi expers; ex Christi onte lotus, & tamen diaboli servus; sub vexillum Crucis conscriptus, & tamen mundo carnique militans, quale monstrum est, pro DEUS! quamque horribile! Aut igitur baptismi eradendus nobis character est, & professio abdicanda Christiani nominis; aut ex Christi tandem regula & amissi vivendum. Nihil enim est aliud vita Christiani, quam imitatio vitæ Christi.

*Vide, num bujus vitæ colorem geres, & lineamenta; num in omni tua agendi ratione, Christi discipulam referas.*

*Magister, sequar te, quounque ieris. Matthæi 8.*

*Sin causa sum Christianus, si Christum non sequor. Bern.*



## XXVIII. D I E S.

*De peculiari erga Deiparam pietate.*

1. **C**or mihi quis ab imis revellat præcordiis, si est erga MARIAM frigidum! DEI Matrem quisquis non amat, nec vitam ducere, nec amare quidquam posse, aut à quoquam amatus est. Nihil potest post DEUM excellenter cogitari, amabilius nihil, aut mihi magis beneficium, quam MARIA. Quantum ergo illi æstimationis, amoris, cultus, & fiducie nou debeo,


II. Si (quod DEUS avertat) mea omnia in  
auras evanescant religionis officia; hoc saltem  
onum tenebo, dum vita suppetet, nempe cul-  
tum hujus Virginis: & quibuscumque me ma-  
lis, scelerib[us]que involvero, gratiam tamen  
ab illo exitiabilis criminum gurgite emergendi,  
& ad DEUM revertendi, ab illa sperabo, & pe-  
tam. Mergar licet inseris collo tenus, inde  
e[st] Reginam in opem vocabo; miserationi e-  
jus integrè me committam: nemo enim potest  
inter MARIE brachia perire.

III. Ad ejus tribunal rei quantumvis insignes  
provocant: omnésque suas, licet conclamati  
eventus causas, ad eam referunt. Ubi iratum  
habemus DEUM, securè ad ipsius Matrem ap-  
pellatur. Nam gloria ejus est, bene misericordia  
facere & p[ro]rsus illius in cælo majestatis, pec-  
catores jam perire obstinatos, ad Filii gratiam  
revocare. Hunc si animum gerit erga scelero-  
sus, quem geret ad fideles servos? Et possit  
videlicet Parens mea optima, & Mater miseri-  
coris, adduci ad signandum damnationis meæ  
decretorium syngraphum? Bonitatem illius,  
plus mille septingentis annis in jugi possessione  
& usu fructu tenuimus; præscriptione utique  
irrefragabili: quis credit, eam nunc primum  
Juri nostro obnuntiaturam? aut spes nostras  
decepturam? Peccare in illam non possumus  
gravius, & in nos ipsos damnosius, quam si  
ejus diffisi clementia, à poscendo ejus auxilio  
abstineamus. Ubi à MARIE cultu desero,  
ibi aet[er]num de me in perpetuum reputabo.

*Nostra ergo illi obsequia inflavimus, pro-  
sternimus animo.*

De-

Dominare nosfiri tu, & Filius tuus. Jud. 8.  
MARIA! o nomen, sub quo nemini desperandum. Aug.



## XXIX. D I E S.

### *De S. JOSEPHI cultu singulari.*

I. Sancti Josephi plenum encomium verbis duobus Spiritus Sanctus contexuit, dum MARIE Sponsum, Christi Patrem nominavit. Non viderur potuisse DEI magnificentia creatam animam sublimius tollere: nisi voluisse penitus JESU, & MARIE facere aequalem. Unum esse cum DEI Matre; & DEI Patis in terra vices getere, apex est omnis dignitatis: ita ut ad majorem nemo possit evahi.

II. Celesti praest Josephus aetatio: dispensat DEI opes. Utamur gratiam, quam pollet, si quid a DEO cupimus impetrare. Quae nobis communis ordo Divinae Providentiae vix esse voluit sperabilia, ea Josephi patrocinio reddituntur favo pronissima. Nihil ei negat Christus in celo, cui quondam esse voluit subditus in terra.


III. Auget nostram erga Sanctum Josephum venerationem, quod ejus potentiam aequat par bonitas. Ut Pater DEI Salvatoris, & Sponsus Deiparae, Christianos omnes pro filiis habet. O modo ergo post tam assidua, & grata in Christum, & Matrem obsequia, potest iis opera deesse, quos tanto amore complectitur Mater; tanto emit pretio Filius?

Securi animum in Sancti Josephi manibus depone: & quotidiane per ejus merita, sanctum

ā DEO finem tibi efflagita: quali ipse inter beatos JESU Filii, & MARIÆ Sponsæ complexus, expiravit.

*Ite ad Joseph. Gen. 41.*

*Quām potentiores sunt in cœlis, qui tam potentes fuerunt in terris. Bern.*



### XXX. D I E S.

#### *De peculiari cultu Sanctorum Angelorum.*

I. **C**ertā, & communi persvassione tenet Ecclesia, mortalium quemlibet habere Angelum, suæ custodiæ deputatum. Quanta ficeret rustici gloria, si Rex illius tutelam, remque omnem Principi credidisset è Regio sanguine; & hoc illi munus expresso imperio demandasset? At quanta bonitas illarum mentium, tam pronis & alacribus itudinis capessentium curam miserabilium homolorum, DEoque infensorum? Est certè comparatio nonnulla rustici cum Regio Princeps; cum Angelo nulla.

II. Nunquam absunt nostro à latere Genii tutelares; nunquam à nobis oculos amovent: testes sunt omnium, quæ mente versamus, & foris agimus. Quem verò non cahibeat à perpetrando quopiam facinore, præfens atque intuitus oculus viri honesti? Estne autem homo, quicunque ille sit, observantia dignus reverentiori, quā m Angelus.

III. Dignitatis suæ propemodum obliti Beati Spiritus, totos se in nostras utilitates impendunt.

dunt. Quid enim non fatigant nostri causā? Præludent nobis suo ductu; suis nostrisque pre-cibus DEUM pro nobis fatigant; consolantur nos in adversis; tentatos corroborant; defendunt ab hostibus; continuā nos adhortatione ad mutandam in melius vitam, DEīque amorem sollicitant: sæpe in ipso scelerum æstu ac furore, officii admonent: interdum ipsimet, etiam pœnā castigant salutari; nulli demum sedulitati parcunt, ut nostræ consulant saluti; quod illis negotium præcipue cordi est. Hoc ergo si non præcipuā diligimus, observamus, veneramūrque pietate, indigni prosector illo-rum tutelā, patrociniō, & curā sumus.

*Custodis tui præsidium crebrius implora:* idque præ omnibus ab eo flagita, ut in occasiōnibus peccandi, præfens tibi adsit auxiliator; ac præcipue in postremo mortis articulo.

*Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Psal. 90.

*In quovis diversorio, in quovis angulo An-gelo tuo reverentiam habe.* Bern.



## XXXI. D I E S.

### *De ardore Divini obsequii.*

**I.** Tanto saltē studio rem DEI curemus, quanto ille rem nostram: & quanto ipse in salutem nostram ardore, tanto in eandem nos cum illo incūbamus. Hoc unum agit extra se; nihil præterea; scilicet ut animi nostri absolvat sanctitatem. Huc omnes paterni pectoris curas ac desideria, huc providentiae

totius consilia, hic decēta refert misericordiæ, & clementiæ in fontes profusionem. Quantum hinc par est animo pudorem offundi, DEUM vicissim frigidius amanti?

II. Si DEUM ex nobis, nostrāq; inertiam metimur, nostris videbitur indignus esse obsequiis; insq; condigno præmio pensandis aut impar, aut nimio tenax & avarus. Quid enim aliud de Domino illo servatur judicium, cui famuli piagram exhibent operam ac servitutem? Dederimus pro se DEUM, ejusque servitutem & præmia, cùm ejus imperatis ignavam aurem manūmque prestamus. At enim *Maledictus*, qui opus DEI negligenter facit.

III. Floris est, quidquid etiam perleve DEI causa vel toleratur, vel uitetur, quām quod omnes unquam Homoës sœculi patrārunt. Si est tam acer ad gloriam stimulus, vanitas, quātus esse debet Æternitas? Qui suas navant dæmoni operas, nulli parcunt sudori, repulsa offenduntur nullā, nihil expostulant, queruntur nihil. Estne Christi conditio quām dæmonis peior? & deterior inferis paradisus? Age ergo sit mihi deinceps pro chola Tartaus: Et tantopere DEUM amem, quanto illum odere damnati: tantā illi fide, nisūque serviam, quantā mundo servitur & dæmoni. Potestne ista servitutis Divinæ mensura, videri supramodum debitum extendi?

Vide, quam teneas in cursu Divini obsequiū rationem. Attende, in quibus potissimum torpeas & lanugescas: ac siude sic illa deinceps emendare, ut non sint Lomino, cui servis, indigna. Spī-

Spiritu ferventes, Dño servientes. Rom. 12.  
Quales impetus habebas ad mundum, tales habeas ad mundi Artificem. Aug.

**DICTAMINA COELESTIS  
PHILOSOPHIAE.**

**Q**uidquid agis præter salutis negotium, amissum puta.

Unum est, quod agas, necessarium : nempe quod MARIA elegit ; quod à te non auferetur : quo beata efficitur anima.

Duo sunt fines hominis ; bonus, & malus : bonorum, & malorum. In alterutro esse necesse est : medium non datur. Ut in bono sis, & malo cave.

Si quem odiſſe hostē vis, te oderis : nullū isto salubrius odium ; nullus tibi te hostis pejor est.

Si te rectè amare cupis, odiſſe incipe. Nam qui amat animam suam, perdet eam : & qui perdiderit illam, in vitam æternā custodit eam.

Christus per omnia assimilatus est tibi : cura, ut tu vicissim illi te assimiles.

Hæc summa hominis gloria est, DEUM sequi : hæc summa opulentia, DEUM sibi debitorum facere.

Quid tibi in mundo quereres, qui mundo major es ?

Quidquid DEO in te displaceat, sine mora auferendum puta.

Omnia tua vis bona habere, inter tot bona, cave, ne tu solus malus sis. Ante omnia vero te oportet bonum velis.

Quid hominem times ? solus DEUS esse timor noster, & amor debet.

DE-

DEUS ubique, & auris est, & oculus.

Omnia uti DEUS vult, tu quoque velis; velle melius non potes: nec à summè bono venire malum potest.

Spera semper in Deo, qui & juvare vult, quia bonus; & scit, quia sapiens; & valet, quia omnipotens.

Si terram diligis, terra es: si temporalia, transibis cum tempore: si DEUM, (propè dixerim) DEUS es.

Momento stat æternitas: momento lucrifici, aut perdi potest.

Nulla est jactura, quæ reparari non possit; etiam gratiæ: sola temporis damna recuperari non possunt, quo tamen nihil est pretiosius: nam à tempore æternitas pendet.

Unum momentum semper nos habere sollicitos debet; mortis scilicet bonæ. Sed hoc à vita dependet bona. Mori enim male nequit, qui vixit bene: sed vix potest mori bene, qui vixerit male.

Æternitati thesauriza & cælo: quidquid aliud opum collegeris, nihil tecum hinc auferes.

Divitias Veritas dixit spinas esse: ne te pungant, nolito cor apponere.

Mundus & caro vocant te, & sequeris: vocat te Veritas, & non sequeris? ausculta Veritati, ut non audias vanitatem.

Uti malum nullum poenâ vacat, ita bonum nullum mercede carebi: cur ergo labotare non satagis?

Quid homini servis, DEO non servis? nempe aliis prodeste vis, nocere tibi,

Diligendi proximi mensuram ex te cape : quæ  
vultis ut faciant vobis homines , & vos facite  
illis.

Nihil amore est pretiosius , quo cœlum emi-  
tur : summa ergo prodigalitas , aut vana ama-  
re , aut noxia .

Frustra quæris , quædnam horum majus sit ,  
abstinere , an sustinere ; quando utrumque ho-  
mini est necessarium .

Nolo , DEUM timeas , si amare potes : ut  
autem amare discas , time .

Mundum times ; o vanam formidinem ! DE-  
UM non times ; o grandem vesaniam !

Quid tibi cupis in sæculo , qui major es mun-  
do ? Ideo nihil tibi satis est , quia cùm omnia  
minuta sint , solus animus tuus est vastissimus ,  
& ipsius DEI capax .

Noli velle dividere cor tuum , quasi DEO  
partem , & mundo daturus . Non potes duo-  
bus Dominis servire : nec legitima hæc  
est partitio , ubi DEUS vult toto cor-  
de , totisque viribus dilig .

### APPROBATIO.

**N**Os infra scripti Soc. JESU Theologi , libellū  
vidimus , cui titulus est : *Christianarum  
Cogitationum menstruus circulus* , ex Callico  
Parisiis edito , à quodā ē Soc. nostra Latinè redi-  
ditum : nihilque in eo notavimus , quod non ex-  
imie cum fide , bonis moribus , & pietate solidā  
consentiret . Lugduni . 5. Mart . 1671 .

CAROLUS DU LIEU.  
PETRUS VIOLET , ē S. J.

I N D E X  
C A P I T U M,  
S E U D I E R U M.  
I. D I E S.

	PAG.
<b>D E Fidei doctrina,</b>	1-
II. De Fine hominis,	2°
III. De morte	3
IV. De Judicio ultimo.	5
V. De Paradiso.	6
VI. De Inferno.	7
VII. De aeternis illius panis.	8
VIII. De praesentia Dei.	10
IX. De diffidentia sui.	11
X. De horrore peccati.	12
XI. De cura salutis proprie.	13
XII. De conversione sui festinanda	15
XIII. De spernendis vulgi iudicisis.	17
XIV. De legitimo usu divine gratiae	18
XV. De usu temporis.	19
XVI. De Sacramentorum usu.	20
XVII. De Sacrificio Missæ.	21
XVIII. De Eleemosyna.	23
XIX. De malo & bono exemplo.	25
XX. De tolerantia adversorum.	26
XXI. De consensu hum. volunt. cū Div.	27.
XXII. De fiducia in Deo habenda.	29
XXIII. De Amore in Deum.	30
XXIV. De Amore in Christum.	31
XXV. De Amore erga proximum.	32
XXVI. De Amore aduersus inimicos.	33
XXVII. De Imitatione JESU Christi.	35
XXVIII. De cultu Deiparæ.	36
XXIX. De cultu S. Josephi.	38
XXX. De cultu SS. Angelorum.	39
XXXI. De fervore divini obsequiis	40

FACILE CERTUMQUE  
PRÆSIDIUM  
ADVERSUS  
OMNE PECCATUM;  
ET STIMULUS AD OMNEM  
VIRTUTEM.

*MEMORIA NOVISSIMORUM.*

MEMORARE NOVISSIMA TUA,  
ET IN ÆTERNUM NON PECCABIS.

*Eccli. 7. ¶. 40.*

---

P R A X I S:  
PER MODUM BREVIS ROSARII

*Quod dictam Sententiam, & pra-  
fata tantum quinque Verba  
complebitur.*

Dic ad Crucem:

*Memorare Novissima tua, & in atero-  
num non peccabis.*

Dic ad singula majora grana:

*O Æternitas! O Æternitas! O Æternitas!*

Dic ad singula minora grana:

*O Mors! O Judicium! O Inferi! O Calum!*

Dic in reditu ad Crucem:

*Memorare Novissima tua, & in atero-  
num non peccabis.*

## NOTABILIA.

## I.

**E**N Facile Præsidium. Paucis enim verbis constat. Si quis fortè non fert humi cubationes, jejunia, cilicia, aliásque asperitates; saltem pro inferorum incendiis evadendis, Cœloque potiundo, ne tantillum detrectet. Si otium eidem desit; unam licet, alteramve deadem attentus evolvat.

2. Divinitus certum est nam è Cœlo datur, cum emphasi magna, per Spiritum Sanct. promissio victoriæ certæ: nimur *In ÆTERNUM non peccabis.* Unde ut illo quām frequentissimè utamur, per Siracidem nos idem hortatur, dicens: *In omnibus operibus tuis, memorare novissimata tua, &c.*

3. Etiam humanitus certum est, tam speculativè, quām practicè. Speculativè quidem; quia, ut pravæ cogitationes phantasiam plenumque afficiunt; sic crebra illius præsidii usuratio facultatem imaginatricem invadit; & quidem omnino potenter, ob potentissimum, si uspiam argumentum. Cæterum ex Philosophia constat actus, præsertim frequentatos relinquere sui vestigium, speciēsque rememorativas, ipsam voluntatem inclinantes. Audi, & practica.

4. Ingens etiam vis roboris ejus per certam experientiam deprehensa est, in personis utriusque sexūs, & omnis ætatis, nominatim in retundendis carnis insultibus. Fuere juvenes qui in profundum peccatorum venerant, annisque

{com-

compluribus isti luto inhæserant: vel ut hocce  
*Præsidio* quotidie utentes, brevi emercentur,  
 atque dixerunt, *impossibile* sibi peccare.

5. Erit deinde perutile adiungere quandoque cuilibet verbo, aliquod epithetum, v. g. *O Mors horrida!* *O Judicium distictum!* *O Inferi tremendi!* *O Cælum optabile!* *O Æternitas longa!* NB. *Ibi ignorare, ubi major affetus, seu motus animi sentitur.*

6. Insuper consultissimum fuerit in praxi, dum nos aliqua seu die, seu nocte peccandi solicitat, aut invitat illecebra, aut res ardua aggredienda, quantociùs *Præsidii* hujus meminisse, & saltem semel, iterumque cum gemitu dicere: v. g. *O Æternitas!* vel *O Judicium!* vel *O Cælum!* &c.

Quod huc spectat, audi. Fuit qui toties quatuor *Confiliarios*, & eorum *Præsidem* consulēbat, quoties peccandi pelliciebat occasio. Porrò illi *Confiliarii* erant. *Quatuor Novissia*, & *Præses ÆTERNITAS*. Hocnè egero, inquit, *O Mors?* quid sentis? Pœnitabit, ait. Idemque *Confiliarii* rogati ex ordine reliqui, unore dixere. Sive hæc sit historia, sive pabora ja, tantidem erit: interim hoc consulere consultissimum est.

7. Denique in omnibus rebus, majoris præfertim momenti, omittendis, suscipiendis, immutandis; ubi periculum esset errandi, vel peccandi, hoc esto *Præsidium*. Ita plurima hominum millia auxilium sensere certissimum, dum in statu vitæ eligendo cogitārunt, quid optāssent in *Morte*, in *Judicio* elegisse.

Hæc Memoria Novissimorum quinduplici ut minimum, lingvâ prodiit, multisque ob argumenti fructum, communicata Provinciis. Fuit, qui decem millia exemplariorum sibi unius idiomatici transmitti curavit; iisdemq; utiliter distributis, alia decem millia sibi poposcerit.

Ut porro per omnes oras, partesque terrarum res eadem spargeretur, oblata est opportune Patribus Societ. JESU Roma ex orbe toto congregatis, & admodum gratanter accepta. Ut tandem omnes DEUM ament, Metuant eum omnes fines terre. Psal. 66.

*Praefidium prædicum sequentibus illustratus historiis.*

*I MORTEM MEMORARE,  
Et Vanitati vale-dices.*

*P*utredini dixi, Pater meus es: Mater mea,  
& soror mea, vermibus. Job. 17.

„ Nihil sic homines revocat à peccato, quæ admodum imminentis Mortis cogitatio. Aug.  
l. 2. de Gen. contra Manichæos.

Juvencula comptæ vanitati, omnīq; mundo muliebri addictissima, omnem legitimam pro peccatis satisfactionem repudiauit, quæ proponebatur ab eo, qui à confessionibus ipsi erat. Enim verò hanc tandem admisit, ut, quoties lavaret manus, toties tacite sibi dicebat hæc caro exedetur à vermibus. Perfecit id successu supra modum felici. Brevi siquidem præsina levitate proscripta, constantem animū ad serias vi-tutes adjecit. P. Comon. Conc. de Mortis.

## *II. JUDICIUM MEMORARE.*

*Et Sæculum fugies.*

**N**on intres in Judicium cum servo tuo Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Psal. 142.

„ Quid tam pavendum, quid tam plenum  
„ anxietatis, & vehementissimæ solicitudinis  
„ excogitari potest? quam judicandum adstare  
„ illi tam terrifico tribunali, & incertam ad-  
„ huc expediare sub tam distinto Judice senten-  
„ tiam? Bern. serm. 2. super Beati qui habi-  
tant &c.

Doctor Parisiensis anno 1092. externa specie,  
& hominum opinione, tam vitæ morum quo  
sanctimonia, quam eruditione floruit; sed longè  
aliud edocuit DEUS, ipsiusmet ore defuncti,  
qui ad illas in templo canentium voces, Re-  
sponde mihi &c. excusso feretro, audientibus  
omnibus, clamavit, prima die: *Iusti DEL ju-*  
*dicio accusatus sum.* Altera die, *Iusti DEI*  
*judicio judicatus sum.* Tertia die: *Iusti DEI*  
*judicio condemnatus sum.* Omnes reddidit  
haec nova lectio Doctoris, vehementer attoni-  
tos. Inter ceteros Bruno adolescens cum sex  
aliis ejusdem studii, & aetatis fidalibus in syl-  
vas se abdidit, & Carthusiæ fundamenta jecit.  
*Franc. Puteus in vita S. Brunonis apud Pe-*  
*trum Tyr.*

## *III. INFEROS MEMORARE,*

*Et praesens peccatum perhorresces.*

**Q**uis poterit habitare de volis cum igne de-  
vorante? Isa. 33. „ Gehennam timeo,

„ quippe interminatam ; horreo tartarum , ut  
 „ cui nimium insit calor : paveo tenebras ,  
 „ quoniam nihil admittunt lucis : formido pe-  
 „ stiferum vermem , quoniam est perennis. *Cy-  
 rill. in Orat. de exit. Anim-*

*S. Martinianus* severæ eremii cultor , cùm  
 importunis fœminæ illecebris ad libidinem ve-  
 hementius incitaretur ; sepositis repente calce-  
 is , medium quem struxit ignem ingressus est ,  
 tuncque semi ustulatus clamavit : Quid est  
*Martiniane*? Flammam si potes hanc ferre , ac-  
 cede ad hanc mulierem , quæ tibi *eterna* parat  
 incendia. Hoc calore incensus , à flagitio illo  
 abhorruit. *Surius in vita Febr. 13. ex Metaph.*

#### IV. COELUM MEMORARE,

Cor durum , & omnem obicem tolles.

*B*eatii qui habitant in domo tua Dñe. Ps. 83.  
 „ Si consideramus , Fratres charissimi , quæ  
 „ & quanta sunt , quæ nobis promittuntur in  
 „ Cœlis ; vilescent animo omnia , quæ haben-  
 aut in terris. *Greg. Hom. 37. in Evang.*

Vir magnus , clarusque doctrinâ *Monetus*  
 nunc , duriore corde , & negligentiore vita ,  
 aures divinis afflatibus occludebat. *Hinc Re-*  
*ginaldum Ecclesiasten* divinum è cœtu S. Do-  
 minici vehementer metuebat ; ideoque illius  
 de industria sacros sermones , congressumque  
 vitabat. Tamen in S. Stephani solemnitate ,  
 ad illius concionem , sodalium importu-  
 nitate pertractus ; primis statim verbis captus  
 est , dum illam vocem exponeret : Ecce video  
*Cœlos apertos.* Ita siquidem ille differebat ,

Nunc

Nunc quidem Cœli portas ad beatitatem patet, sic ut quilibet ingredi possit: qui autem negligentes essent, Deoque cor suum clauderent, illis vicissim Cœlos occludi, ut deinde intrare non possint. Neque pluribus opus fuit: repente cor durum posuit, vitæque Religiosæ desiderium concepit, à qua tam fuerat alienus: Reginaldum à sua dictione adiit, mentem aperuit, et mque etiam voto confirmavit. *Flatus de bono flatus Religi.* l. 3. cap. 38.

#### V. AETERNITATEM MEMORARE, Neque pravis cogitationibus acquiesces.

**I**git homo in domum Aeternitatis sue. Eccles. 12.

„Quis exprimat quid sit Aeternitas? Cogito „mille annos; cogito millies mille annos; co- „gito tot annorum millia, qnot sunt in rato „tempore à condito mundo usque ad ejus con- „sumationem; & de Aeternitate nihil adhuc „habeo. *Adamus Sasbout. Hom. Dom. I. Quad- rages.*

Aloysia ab Henrico VIII. voluntatem sui conjugis Thomæ Mori, Angliæ supremi Cancellarii, in sententiam Regis flexura, ad carcerem mittebatur. Orabat obnixè ne bona omnia, & vitam, quibus multis adhuc annis frati poterat, subito perderet; saepiusque hanc vi- tæ diutunitatem inculcabat. Et quamdiu mea Aloysia (inquit Morus) frui hâc vitâ potero! cum illa; Totis viginti annis, mi marite, si DEUS ita voluerit. Vis ergo, ait Morus, Aeter- nitatem viginti annis commutem? Næ tu im-

perita mercatrix es, mea conjux. Nam si annorum aliquot millia diceres; sed ad *Aeternitatem* quid essent? Igitur constans ille, integrumque permanlit. *Thom. Staplet: vitæ ejusdem cap. 16.*

Quanquam *Memoria Novissimorum* juxta *Syracidem* adversus peccatum militet; nihilominus ad virtutem simul arma suppeditat, ut sequentibus paret historiis.

## I. MORTIS MEMORIA

*Virtutis fundamentum.*

„ Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; nescis enim quid paritura sit superventura dies. Periculum enim & metus est in differendo; salus vero certa ac secura, si nulla sit dilatio. *Virtutem igitur cole;* sic enim licet juvenis moriaris, se curè discesseris. *Chrisost. Homil. 22. in 2. Corinzb. 10.*

Voluit Abbas *Theodosius*, vitæ melioris eximus Architectus, recordationem *Mortis*, velut primum lapidem ædis divinæ struendæ omnibus suis Tyronibus ponì. Unde & proprium ab unoquoque Sarcophagum confici jussit, qui in oculos incorrens, tacite insuurraret illud, *Cogita mori*, Hac eadem solertia usi sunt primarii orbis Cæsares *Maximilianus I. & Carolus V.* Avus & Nepos, aliisque. *Ribaden. II. Jan. ex Metapbr. lisp. l. 2. Monit. 14.*

## II. JUDICII MEMORIA

*Animum instaurat.*

*Conige timore tuo carnes meas; à Judiciis enim tuis timui.* *148.*

„ Me.

„ Meticulosum est omni viventi , coram te  
 „ Domine causam agere criminalem : quia cùm  
 „ sis potentissimus , manus tuas nemo potest  
 „ effugere ; cùm sis sapientissimus , oculos tuos  
 „ nihil potest latere ; cùm sis justissimus : ani-  
 „ mum tuum nemo potest corrumpere ; coram  
 „ q[uo]d accusatrix est conscientia : rea mens, ade-  
 „ vocatrix ratio , testis memoria , & tu Judex.  
*Innocentius Papa in Psal. 142.*

Scribit *Chartusianus* fuisse qui ferventissime Religionem ambirer , matrisque acerrime contra oblucentis undique conquisita tela (hoc uno scuto semper exciperet : *salvanda mibi anima mea , omnino salvanda*. Familiae ergo Religiosæ annumeratus est , cùm post paulò calor ille omnis intepuit , ac dein planè refrixit. Interim extincta matre , & ipse in periculosam segritudinem labi , malo ingravescente extra se rapi ; divino pro tribunali sisti inter damnandorum gregem ; spectaculo isti marer adesse , filiumque obliquō oculō notare , ac dicere ; quid hoc ? tunè inter reliquos reus es ? Ubi jam speciosum illud & toties iteratum , *salvanda mibi anima mea* ? Itane verò ? ille supra omnem modum stupere , confundi , obmutescere .

Tandem ad se rediit , ac sanitate corporis , animique reddita , sic servide rem egit , ut frænis opus fuerit ad impetum moderandum. Vezum ille habenas non audiens , inquietabat ; si nec matrem leniter reprobrantem ferre potui , quā Judicem me olim severè damnantem , Angelosque acriter perstringentes potero sustinere ? *Art. 30. de 4. Noviss.*

---

III. INFERORUM MEMORIA

---

Pias lacrymas elicet.

**I**gnis eorum non extinguetur. Isaiae 66.

„ Paveo gehennam ; contremisco a dentibus  
 „ bestiæ infernalis , horreo vermem rodentem ,  
 „ & ignem torrentem , fumum & vaporem ,  
 „ sulphur , & spiritum procellatum .

Quis dabit capiti meo aquam , & oculis miis  
 sontem lacrymarum , ut præveniam fletibus fle-  
 tum , & stridorcm dentium ? Bernard. serm.  
 16. in Cant.

Florentissimam Religiosorū familiam quon-  
 dam invisit *Climacus* , Cujus numerus ad tri-  
 ginta supra ducenta capita ascendebat . Huic  
 numerosissimo cætui præter hospitum euram ,  
 unus ac solus cocus indefessò labore ministra-  
 bat , tolerans *Fondus diei & noctis* , tam con-  
 stanti animo , quam lubenti . Interim curas  
 inter innumerās , (quis credat ?) sibi DE6que  
 præsentissimus , dono lacrymarum præstabat ,  
 causam tandem extorxit *Climacus* : Me semper  
 inquit , omni indignum quiete ac solatio esse  
 duxi , atque conspectus iste præsentium flam-  
 marum , assiduas ciet lacrymas ponderanti tor-  
 menta ignium æternorum . S. Joannes Clima-  
 cus cap. 4.

---

IV. COELI MEMORIA

---

Vires addit animosq; fortiter agendi & patien-  
 di quælibet ardua .

**Q**uam dilecta tabernacula tua , Domine  
 virtutum ! concupiscit , & deficit ani-  
 ma mea in atria Domini ! Psal. 83.

„ Ignis , crux , bestiæ , confratio ossium ,  
 mem-

„ membrorum divisio , & totius corporis con-  
 „ tritio , & tota tormenta diaboli in me ve-  
 „ niant , tantum Christo fruar . S. Ignat. M.  
 tisse Hieron: lib. de scriptor. Ecclesiast.

*Agapitus Italus adolescens quindecennis sub Aureliano inediâ maceratus ; colaphis cæsus ; maxillis mutilatus ; pedibus sursum ad trochlearam in igne , sumoque suspensus , foris expositus ; taureis sæpè concisus , aqua bulliente super plagis perfusus , & quid non pertulit Ix-  
 tus ? Qua verò spe laetaretur , ostendit hōc dīctō . Cūm enim carentes igne prunæ congererentur in caput : perexiguum , inquit , il-  
 lud est , ut ille nunc vertex flammato carbo-  
 ne scintillet , qui postea gloriæ diademe ful-  
 gurabit ; ut illud caput ustuletur in terris , quod  
 coronabitur in cœlis : sauciam frotē aptè  
 laurea inumbrabit . Ribbaden . in vita 18. Aug.*

## V. ÆTERNITATIS MEMORIA

*Immutat vita statum.*

*Q*uod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate Æternum gloriæ pondus opera-  
 tur in nobis . 2. Corinth. 4.

„ O ÆTERNITAS ! abysmus gaudii Sanctis ;  
 „ abysmus miseriarum & dolorum impiis ! Si-  
 „ cut enim omne bonum facis infinitè melius ,  
 „ & optabilius , ita omne malum efficis infinitè  
 „ pejus , & molestius . Quæ mens magnitudinem tuam capere ; quod robur animi ,  
 „ pondus tuum sustinere queat ? Leonardus  
 Lessius de Divin. Perfect. lib. 4. cap. 5.

Fauconio homini dissoluto, dum noctem  
in somnem duceret, nequidquam variis modis  
captata quiete, divina bonitas, de Aeternitate  
e gravae cogitationes ingerit. Quid agis Fau-  
coni? Ita ille secum: in molli tegumento ja-  
ces; at ut biennio sic maneas in perpetuis te-  
nebris absque omni solatio; an oblatis aureis  
montibus velles pacisci? Interim morbo in-  
gruente plura toleranda erunt. Verum quid  
a morte corpori, quid animae fiet? Corpus hu-  
mi insternetur vermibus operiendum: Animae  
mille criminum reæ, frammea culcitra appa-  
randa, cui incubet; non decem, non centum,  
non mille, non decies mille annis, sed Aeter-  
nitate perpetua: Ita perennitas illa menti in-  
sculpta, ut neque lindis, neque epulis, neque  
familiarium congressu, aut uila arte eradi po-  
tuerit. Ergo Cisterciensibus est adjunctus, ubi  
vitam religiosè sancteque traduxit. Benedict.  
Renat. lib. 5. Ord. Cist.



## CONSIDERATIO PRO DELIBERANTIBUS DE VITÆ STATU.

**C**redas, Non credas;  
Velis, Non velis;  
Domineris, non domineris;  
Non habebis hic manentem Civitatem.

Abi-

Abibis.

Moriere.

Quā non putabis horā.

Moriere.

*Deserturus omnia, & ab omnibus deserendus,*  
Intrabis

### ÆTERNITATEM

*Semper duraturam, finiendam Nunquam,*  
*Felicem inter superos, Ubi Omne bonum.*

Vel

*Infelicem inter inferos, Ubi Omne malum.*  
Utraque in libertate tua est.

Elige,

Sed simul intellige.

*Felix Æternitas consequitur mortem bonam.*  
Mors bona vitam bonam.

Et

*Infelix Æternitas consequitur mortē malam.*  
Mors mala vitam malam.

Saltem de lege DEI ordinaria:

Ut si Bene mori cupias,

Indeque Beatus esse æternū,

Et extra ordinarios favores DEI tibi polliceri  
nequeas,

Eligendum sit necessariò

### BENE VIVERE.

Bene vivere, est Declinare à mala

Quod commissum est. per pænitentiam;

Quod committi potest. per cautelam.

Et facere bonum Exercitio virtutum

ERGA DEUM, seipsum, proximum.

Quod potest quivis (cum gratia DEI) In statu  
Quovis

ECCLESIASTICO. SÆCULARI.  
RELIGIOSO.

Sed cave hic lapidem offensionis,  
& adverte:

*Possit bene vivere, non est bene vivere,*  
*Possunt omnes, pauci tamen bene vivunt.*  
Causam postulas?  
Binas habe.

Primo, sunt in Statu uno, quam in altero  
Pauciora auxilia, & media,  
Tam ad declinandum mala,  
Quam ad faciendum bona.

Secundo, Sunt insuper plura ad bonum  
Impedimenta.

*Plures malorum occasiones, & pericula.*  
Inter haec non abripi,  
ET NON PECCARE,  
Est

Inter spinas non cruentari.  
Inter laqueos non capi.  
Inter flumus non hauriri.  
Inter flammas non aduri.  
Inter scorpiones non ici.  
Inter hostes non vulnerari.  
In lubrico non labi.  
In labyrintho non errare.

Quod paucorum est. Et propè miraculum.  
Sunt ex adverso

In Statu altero quam in isto,  
Primo, Auxilia & media plura & majora  
BENE VIVENDI:

Secundo, Occasiones & pericula pauciora,  
& minora  
MALE VIVENDI. Ut

Ut Bene in hoc Statu vivere  
 Cuique non affectanti male vivere  
 Sit non facie tantum, & jucundum,  
 Sed penè necessarium.

Ac proinde cogitare prudenter possit,  
 In Statu illo plures damnari eternum:  
 In Statu isto plures salvare eternum.

Nunc tu mente serena,  
 Animò ab omni perturbatione liberò  
 Constitutus coram DEO  
 De vita ineundo Statu  
 C O N C L U D E,

Si forsitan hares, tuo diffidens iudicio,  
 Et Consiliarios quæris,  
 Adhibe incorruptos:

Viros sapientes, Ecclesiæ Doctores,  
 Hominem in mortis articulo constitutum,  
 Anima ad DEI Judicis tribunal consistentem,  
 Amicos tuos igne purgatorio detentos.  
 Angelos Tutelares,  
 Beatos omnes.

Quin & divitem Epulonem *Iuc. 16*  
 Cunctosque damnatos.

Præ omnibus amantissimum tui,  
 C H R I S T U M J E S U M.

Svadebunt (nisi fallor) omnes,  
 Ore uno:

Ah elige, si sapis,  
 Elige, si te amas,  
 Elige vitæ Statum,  
 S E C U R I O R E M;  
 Et quantò magis te diligis,  
 Tanto minus elige

*Periculorum.*

Ita sanè comparatus es  
 Dicitate prudentia, & tui amore  
 Ut iter suscepturus  
 Eligas  
*Equum babilem præ claudio,*  
*Navim firmam præ cariosa,*  
*Viam securam, & planam præ infesta,*  
*Et prærupta;*  
*Et universum negotium ponderosum*  
*Confesturus,*  
*Adhibeas  
 Certiora media, præ minus certis,*  
*Meliora præ minus bonis.*  
 Est autem Negotium  
*Negotiorum omnium ponderosissimum*  
*FELIX aut INFELIX,*  
*Ad quam properas in horas singulas*  
*ÆTERNITAS.*




## S P E C U L U M

Pro sui cognitione  
 R. P. ROBERTI SOTTWELLI  
 Societatis JESU.

O DEUS & Creator mens! Quid fui, quid  
 sum, & quid ero? Fui nihil, nihil sum,  
 & ero fortè nihilo pejus. Fui conceptus in ori-  
 ginali peccato, sum plenus peccato actuali, &  
 quis scit, an condemnandus ero pœnâ gehennali?

Fui

Fui miserabilis in ingressu; sum miserabilius in progressu; miserimus ero in egressu; sui sperma scidum, sum saccus stercorum; Ero esca vermium. Cum nihil essem, sui sine periculo damnationis, & sine spe salutis; & jam sum in spe dubia, & gravi periculo. Ero aut ex re sperata salix, aut ex periculi successu insollicissimus. Sic fui, ut damnari non possem; Sic sum, ut salvare vir possim; Sic ero, aut in æternum damnatus, aut in æternum salvus. Quid fuerim scio, quod sui pessimus; quid necio, quia de gratia incertus; Quid ero ignoto: quia de salute dubius. Quod fui, Domine ignosce; Quod sum, corrige; Quod ero, dirige; dirige inquam à malo præterito, in bono præsenti, ad præmium futurum, Amen.



INFELIX ac TRISTE  
ALPHABETUM,  
Funestissimorum Fructuum,  
Quos gignit sœda Libido.

*Ex parte Anima:*

A.

**A**NIMAM, quæ est Imago DEI, & naturæ Divinæ participatio, ita sedat, ut nihil abominabilius DEO & Calibibus esse possit.

B.

**B**EATITUDINEM æternam, ad quam conditi sumus, perdit: cum ob nullum vitium plures calo excludantur.

C.

**C**æcitatem mentis inducit, ut vel non videat pericula salutis, in quibus versatur, vel ad cœlestia cognoscenda se non possit elevare.

D.

**D**æmonis, heu duri tyranni! mancipatus hominem addicit; quem semel Asmodæus captivum tenet, serè actum est de ejus salute.

E.

**E**mendationis difficultatem generat; huic enim vitio deditus, vitam citius, quam inolitam consuetudinem ponet.

F.

**F**avores Beatissimæ & Immaculatæ Virginis spernit; hæc etenim ut fuit semper absque macula, sic has maximè forides aversatur.

G.

**G**ratia DEI, quæ est vita animæ, hominem spoliat, id est: thesaurum, quem homo habet pretiosissimum, eripit.

H.

**H**abitum pravum, velint compedes homini injicit, ut etiam dum vellet, ægerrimè hoc se malo liberari possit.

I.

**I**nfernū meretur: Si enim ex Juvenib[us] centum damnentur, nonaginta novem damnantur propter hoc vitium.

L.

**L**ibertatem ad alia omnia vitia aperit; sensibus ræna laxat. Cum in profundum venerit, contemnit.

Mc-

## M.

**M**erita tam sua omnia , quæ unquam habuit,  
homo perdit , quin etiam Christi merito-  
rum se incapacem reddit.

## N.

**N**aufragium est omnium bonorum naturæ ,  
& Gratiae ; quem malum hoc semel corri-  
puit , in eo omnia bona corrumpit .

## O.

**O**dium DEI meretur ; propter nullum pecca-  
tum plures DEUS inter homines punivit ,  
quam propter istud .

## P.

**P**ænitentiam , & finalem gratiam impedit ,  
facitq; ut sine prævia Confessione & Commu-  
nicione homo moriatur .

## R.

**R**eligiosi & Ecclesiastici Status assumendi fa-  
cit incapacem ; absit , ut haic vizio addi-  
ctus se voto perpetua castitatis obliget .

## S.

**S**alutis æternæ consequendæ desperationem ,  
præ reliquis omnibus vitiis , facilius per-  
suadet .

## T.

**T**empore , torporēque spiritūs causat . Huic  
enim vizio deditis , nec Oratio , nec con-  
cio , nec ulla exercitia spiritualia placent .

## V.

**V**eritate conscientiæ alit , qui nec læsum ho-  
minem esse sinit , & hominem mali admissū  
conscium inde sinenter rodit .

Abyssus denique omnium malorum libido est. Si proinde animam tuam, quam unicam, pretiosissimam, æternam, fili mi habes, salvare cupis, vitium hoc angue omni pejus oderis, est necesse.

*Alphabetum damnorum*

*Ex parte corporis :*

A.

**Æ** Gritudinum innumeratum secundissima pærens est: meritò eam humani generis sepulchrum dixit S. Chrysost.

B.

**B** Estiis irrationalibus assimiliat: talis homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.

C.

**C** Erebrum per nimiam inflammationem excusat, plures post mortem anatomicati reperti sunt cerebro caruisse.

D.

**D** Ebilitatem virium causat: plus turpi horum vitio, quam decuplā sanguinis effusione corpori vigoris eripitur.

E.

**E** Legantiam vultus, non secus, ac nimius aestus florem, decoquit, cui succedit palor luridus & flaccidus.

F.

**F** Amor dispendium facit. Vitium hoc suum est ipius pudet, ideo tenebras & angulos quæsit, vult latere.

Gu-

G.

**G**ustum in rebus spiritualibus adimit, ariditatem in precibus, langvorem ad bona opera ingerit.

H.

**H**æticam, quæ sensim sive sensu corpus despicitur, per frequenter sanguinis inflammationem, generat.

I.

**I**ngenii aciem hebetat. Hinc vitio huic additus, paruum in literis, vel artibus proficit.

L.

**L**ue venerea, seu ut vulgus vocat, morbo gallico, fædissimo, nec facile curabili morbo corpus inficit.

M.

**M**emoriam præcipuum Juventutis ornatum debilitat, & successivè imminuit.

N.

**N**aturam totam enervat & frangit, facitque ut ubi ætas modicè creverit, tota langveat, & ad omnia inepta reddatur.

O.

**O**culos vehementissime obtundit, & ad lippitudinem visusque debilitatem disponit.

P.

**P**allorem quandam plumbeum, squallorem, livoremque faciei inducit, qui notat sanguinis vigorem esse decoctum.

Ra-

R.

**R**ationem obscurat, imminuit prudentiam, estque, juxta S. Thomam, brevissima ad insaniam via.

S.

**S**ene&utem præmaturam inducit, dum ita corpus etiam juvenile debilitat, ut vitia omnia senectutis experiatur.

T.

**T**ristitiae ac melancholiæ fons est, tum ob conscientiæ remorsum, tum ob ademptū spirituum vitalium vigorem.

V.

**V**itam denique, omnium Medicorum judicio, abbreviat. Plures hoc vitium, quam gladius occidit.

Quisquis corpori, viribus, sanitati, talentis suis consultum vult, horreat, quidquid ad libidinem viam aperit.

### *Affectus Ignatiani.*


**A**nima Christi sanctifica me; Corpus Christi salva me; Sangvis Christi inebria me; aqua lateris Christi lava me; passio Christi conforta me; ô bone JESU exaudi me; intra vulnera tua absconde me; ne permittas me separari à te; ab hoste maligno defende me: in hora mortis meæ voca me; & jube me venire ad te, ut cum sanctis, & eleædis tuis laudem te in sæcula sæculorum, Amen.

HEBDOMADA  
S. JOSEPHO  
DEI IN TERRIS  
NUTRITIO  
ET  
VIRGINEO MARIÆ  
SPONSO SACRA.

Cum aliis miscellaneis preci-  
bus privatæ cujuslibet devo-  
tioni inservientibus.



CLAUDIOPOLI,  
Typis Academicis Societatis JESU,  
per Simonem Thadæum Wei-  
chenberg, 1733.





## DIE DOMINICO.

Pro munditia Cordis, & Corporis servanda D. Josephum  
venerare.

**Q**uam pulchra, tam fragilis res  
est Castitas, vigili eget oculo,  
ut integra conservetur. Hunc  
thesaurum in vasis fictilibus ut illiba-  
tum tuearis, auctor tibisum, ut cum  
castissima D. Josephi cura, ac protectio-  
ni committas; novit lilia tractare Jo-  
sephus, sciet ille custodire cor tuum, qui  
Maria Virginitatis egit defensorem.  
Accipe illum custodem cordis, quem Ber-  
nardo teste Homil. 2. super missus.  
Tangham alterum David Dominus in-  
venit secundum cor suum, cui tutò com-  
mitteret secretissimum, atque sacratissi-  
mum sui cordis arcanum Christum.  
Nunquam libentius, quam tuenda ca-

stitati patrocinatur Christi Pater, &  
 Virgo Josephus. Sic quidam impuris  
 agitatus estibus, ut per 9. dies reci-  
 tanda D. Josephi corona se addixit; ab  
 exitiali amoris intemperie respiravit.  
 Alius prodigus filius abierat in viam  
 cordis sui, effrenatione in omnem licen-  
 tiam effusus. tertio, postquam S. Jose-  
 phi curæ à suis per preces commissus est,  
 die, ad mentem, & domum rediit; Al-  
 teri vel sola D. Josephi icon sinu gesta-  
 tatentationum fuit remedium P. Barri  
 in Alim piet. c. 23. Ad hunc & tu  
 in simili necessitate recurre, imitabe-  
 ris in hoc DEUM, qui, quod pretio-  
 fissimum habuit, JESUM & MA-  
 RIAM, JOSEPHO custodiendum de-  
 dit. Nihil Josepho puritate mentis.  
 & corporis charius, utpote qui illiba-  
 ram Virginitatem voto DEO sacratam,  
 tumulo intulit, in cuius signum, ipso  
 desponsationis cum Maria tempore ba-  
 culus in ejus manu efflouxit, & capiti  
 candida columba insedit. Idem c. 8.

Taw

Tam diu te charum Josepho crede, quam  
diu integer vitæ, scelerisque purus fue-  
ris, quod ut impetres, habe devotam  
orationem, qua hodie, & alias frequen-  
tere te S. Josepho commendare poteris.

*Oratio pro animi, & corporis  
puritate conservanda.*

**O** Sanctissime Josephe! Nutritie JE-  
SU Christi, ego humillimus cliens  
tuus animi, & corporis mei castitatem  
singulariter tibi commendo; & rogo  
te per paternam JESU custodiam, &  
puritatem tuam, ut me eidem JESU  
Christo Filio tuo, & Agno immacu-  
lato, ejusque vigilantissimæ Matri -  
immaculatissimæque Virginum Virgi-  
ni MARIAE commendare digneris, &  
ab omni graviore peccato custodire.  
Ne permittas me ulla unquam impu-  
ritatis labe fædari: sed cum primùm  
in tentatione, & peccandi periculo  
constitutum me videbis, abige procul  
à corde meo cogitationes, & affectus.

omnes immundos, & injectâ memoriâ  
eternitatis, & JESU Christi Crucifixi,  
imprime mihi medullitus ô mi JOSE-  
PHE ! sensum timoris Domini , & di-  
vini amoris in me ignem accende.  
Amen.

A L I A.

**V**irginum Custos, & Pater S. JOSE-  
PHE , cuius fideli custodiæ ipsa In-  
nocentia Christus JESUS , & Virgo Vir-  
ginum MARIA in terris commissa fuit,  
te per utrumque charissimum pignus  
tuum JESUM , & MARIAM obsecro, &  
obtestor : ut me ab omni immunditia  
præservatum mente intaminata, puro  
corde, & casto corpore JESU , & MARIAE  
semper facias castissimè famulari, Amé.

DIE LUNÆ.

Pro devotione in precibus ob-  
tinenda orandus D. Josephus.

**N**ihil oratione efficacius, hæc cælos pe-  
netrat ; sed si sine devotione fiat,  
plumbens gladius est, & inefficax ; qua-  
re ne

re ne tantam meritorum occasionem tur-  
 pi socordia negligas orationis Magistrū  
 elige S. Josephum, exemplō Wilhelmi  
 illius Sodalis Dilingæ, qui secundūm  
 laudabilem multorum, singulis operibus  
 singulos Patronos, eligentium consuetu-  
 dinem, cùm pro oratione devote obeunda  
 D. Josephi opem invocasset, eo orare  
 fervore doctus est, ut devotione ejus al-  
 lecti Angeli cum illo səpiùs orare sint  
 visi. Mercius ad annum 1627. Oratio  
 est cum DEO conversatio, qui triginta  
 annis cum Filio DEI conversatus est D.  
 Joseph, ille te modum cum DEO loquen-  
 di optimè docebit, quod ut fiat, preces  
 tuas per manus D. Josephi DEO offer,  
 ejusque fervorem imitari conare, pro cu-  
 jus exercitio subdohic Officium D. Jose-  
 pho sacrum, per quod səpius recitatum  
 varias plurimi gratias impetrarunt.

## OFFICIUM DE S. JOSEPHO.

AD MATUTINUM.  
JESUS, MARIA, JOSEPH.

¶. Domine labia mea aperies.

¶. Et os meum annunciat laudem tuam.

¶. Deus in adjutorium meum intende.

¶. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, &c. Alleluja, vel Laus tibi Domine, Rex æternæ Gloriæ.

*Hymnus.*

Joseph David filius, clara stirpe natus,  
Iesu Christi Domini Pater nuncupatus,

Matris DEI Sponsus cœlitus vocatus,  
Utriusque custos cœlo destinatus.

*Antiph.* Salve Patriarcharum decus,  
& Ecclesiæ Sanctæ DEI Oeconomus,  
cui panem vitæ, & frumentum electorum conservâsti.

¶. Ora pro nobis beatissime Joseph.

¶. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

*Oremus.*

SAnctissimæ Genitricis tuæ Sponsi,  
quæsumus, Domine meritis adjuvemus,  
ut quod possilitas nostra non ob-

obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

### A D P R I M A M.

JESUS, MARIA, JOSEPH.

℣. Deus in adjutorium, &c. Gloria Patri, &c.

#### *Hymnus.*

TU, qui Sponsam gravidam dolens  
cūm videres.

Cogitabas anxius, an eam retineres,  
Sed cœlestis monitor, ne amplius timeres,

In somnis admonuit, ut potius gauderes.

*Ant.* Salve Patriarcharum, &c.

℣. Ora pro nobis beatissime, &c.

*Orat.* Sanctissimæ Genitricis tuæ, &c.

### A D T E R T I A M.

JESUS, MARIA, JOSEPH.

℣. Deus in adjutorium, &c. ut supra  
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

Bethlehemes profectus, censum soluturus,

Cum prægnante Virgine, ubi nasciturus

Erat mundi Dominus, quique mox facturus,

Ut ipsum infantulum essem amplexurus.

*Ant.* Salve Patriarcharum, &c.

*V.* Ora pro nobis beatissime, &c.

*Orat.* Sanctissimæ Genitricis, &c.

*A D S E X T A M.*

JESUS, MARIA, JOSEPH.

*V.* Deus in adjutorium, &c. Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

Cum Herodes impius in pueros sævit,

Gabrielis monitu, ne amplius dormiret

Retulisti Sponsæ, sed tecum veniret,

Et accepto parvulo in Ægyptum iret.

*Ant.* Salve Patriarcharum, &c.

*V.* Ora pro nobis beatissime, &c.

*Orat.* Sanctissimæ Genitricis, &c.

*A D*

*A D N O N A M.*

JESUS, MARIA, JOSEPH.

**V.** Deus in adjutorium, &c. Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

**H**Ostibus defunctis inde recessisti,  
Et in Galilæam tecum reduxisti  
Puerum & Sponsam, sicut didicisti  
Cœlitùs, in Nazareth humilis vixisti.

**Ant.** Salve Patriarcharum, &c.

**V.** Ora pro nobis beatissime, &c.

**Orat.** Sanctissimæ Genitricis, &c.

*A D V E S P E R A S.*

JESUS, MARIA, JOSEPH.

**V.**, Deus in adjutorum, &c. Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

**Q**ui JESUM factum duodecim anno-  
rum,

Perdidisti tuum lumen oculorum,  
Sed inventum posteà in medio Docto-  
rum,

Custodisti sedulus Regem Angelorum.

**Ant.** Salve Patriarcharum, &c.

℣. Ora pro nobis beatissime, &c.

*Orat.* Sanctissimæ Genitricis, &c.

**AD COMPLETORIUM.**

JESUS, MARIA, JOSEPH.

℣. Converte nos Deus salutaris noster.

℣. Et averte iram tuam à nobis.

℟. Deus in adjutorium, &c. Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

Felix, quem in ulnis JESUS cum Maria

Tenuit cubantem, dum in agonia

Spiritum efflare, ut directâ viâ

Tenderes ad Patres, functus vitâ piâ.

*Ant.* Salve Patriarcharum, &c.

℣. Ora pro nobis beatissime, &c.

*Orat.* Sanctissimæ Genitricis, &c.

**COMMENDATIO.**

Has horas Canonicas cum devotione

Dixi, Sancte Joseph, tui ratione.

Ut sis mei memor in oratione;

Et vivamus simul in cœli regione,

Amen.

**DIE**

## DIE MARTIS.

S. Josephi exemplo, & ope voluntas nostra Divinæ unienda.

*Summum in hac voluntatis cum Divina conformitate fuisse D. Josephū, vel illud testatur, quod voluntate DEI in somnis per Archangelum Gabrielem intellectā secum IESU & Maria via ignota comiserit. Eandem cum Divina voluntate concordiam & nos hodie patrocinio, & imitatione D. Josephi discam⁹. Quod sibi summè placere Christi Nutritius Joanna cùdā ex Ursulinarum familia significavit, dum eidem comparens dixit: Constanter in his, quæ pateris mala, perdura, tui penitus oblita, ita enim DEO cordi eris P. Barric. 7. Audi monentem Josephum, qui eum colis, imitare, si verè honoras, tuāmque mentem Divine ex aſſe conforma, quam, teste Matre DEI Brigittæ revelante, Joseph adeò est executus, ut continuò diceret. Utinam vivam, & videam ad impletam voluntatem*

tatem DEI! Totum desiderium ejus fuit  
obedire voluntati DEI, ideo tanta nunc  
ejus est in cælo gloria l. 6. Rev. c. 59.  
Ad quam virtutem pro tranquillitate  
animi summe necessariam, facilius con-  
sequendam cole S. Josephum Rosariō,  
quod devotorum ejus clientum consuetu-  
dine jam latè vulgatum est.

### Rosarium de S. Josepho.

**A**D minora Rosarii grana orabis: JE-  
sus, Maria, Joseph mei dulcissimi a-  
mores, vestri amore moriar, vestri amo-  
re patiar, vester sim totus, & nullatenus  
meus, O JEsu, Maria, Joseph. Ad ma-  
jora Coronæ grana dic: DEus cordis,  
& voluntatis meæ, rogo te per dilecti Pa-  
tronii mei S. Josephi amorem, ut meam,  
etiam rebellem ad te compellas propitiatus  
voluntatem.

### DIE MERCURII.

Dum negotium gravius perficiendū  
iminet, id ope S. Josephi aggredere.

**S**i viribus tuis in re quapiam peragen-  
da diffidis, fidissimum auxiliatorem

reperies in D. Josepho. Communis hic omnium Patronus est, & universalis in omnibus auxiliator: neminem à se tristem recedere patitur, qui suam ei cum affectu causam commendat. Sic cuidam negotium, quod agi feliciter volebat, Deo per S. Josephi manus obedienter comitenti, eamque in rem pro animabus purgatorii, ad S. Josephi arbitrium tot sacra destinanti, quotum etatis sua annum agebat, sacris peractis negotium illud, nullâ suâ industria ita felicem exitum est sortitum, quem nec cogitare quidem, taceo desiderare, præsumpsisset. Dies & Hebd. S. Joseph. Fer. 5. Cole sanctum hunc, & ille tibi in studiis Magister, in afflictis solatium, in desperatis auxilium, in omnibus Pater erit. Testem hujus rei locupletem accipe S. Theresiam: Accepi, inquit illa, in Advocatum, & Patronum S. Josephum gloriosum, cui me multum commendavi, & experimento comperi, quod in meis necessitatibus hic meus Pater, & Dominus melius

me libera vit, quām ego sciverim postulare: neq; memini illum à me hactenus ulla in refuisse rogatum, quam ille facere omiserit. & post multa, Velle omnibus persuadere, ut glorioso huic Sancto essent impensè addicti, ob magnam experientiam, quam habeo beneficiorum à Deo pereum obtentorū. Non novi ullum seriò illi devotum per obsequia singularia illi facta, quem non viderim insignes in virtute progressus facientem. Nam eximiè juvat animas, quæ illi se commendant. Vitæ suæ c. 6. *Quod Divi hujus patrocinium ut impetres, hac te in ejus clientelam oratione quam ferventissimè devovebis.*

*Oratio votiva ad S. Josephum.*

S. Joseph, Matri DEI Sponse, Virgo, gloriosissime periclitantium, & agonizantium Patrono, omnium Mariæ Sponsæ tuxæ servorum protector fidelissime; Ego N. te hodiè coram, IESU, & Maria Sponsa tua in Dominum, Patronum, & Advocatū pro felici morte,  
& pro

& pro constanti ad Sanctimoniam consequendam studio acquirendo eligo, firmitérq; statuo, ac propono, me nunquam te derelicturum, neque contra te aliquid unquam dicturum, facturum, neque permisurum, ut à meis subditis contra tuum honorem aliquid unquam agatur. Suscipe me ergo in servum perpetuum: & me Mariæ in perpetuam protectionem, & in æternas JEsu misericordias commendā: ad sis mihi in omnibus actionibus meis, quas omnes offero in perpetuum ad majorem JEsu, Mariæ, & tuam gloriam: nec me deseras, verū illam, quæ mihi maximè necessaria, & utilis gratia est, nunc, & in hora mortis meæ impetra: ad quam te nunc, protunc invito, & nunc & tunc, quod possilitas mea non obtinet, tuā mihi intercessione donetur, per JESUM DEUM animæ meæ. Amen.

### DIE JOVIS.

Frequentem vitæ S. Josephi memoria habere conare.

Quan-

**Q**uantum hic cultus D. Patriarche nostro placeat, ipse luculente testans est, dum, ut refert Gratianus; vita Josephi 5. c. 4. Duo Fratres ex Ord. S. Francisci eā, qna uehebantur, navi cum 30. aliis mersā, duo in tabula superstitionis dierum & noctium intervallo D. Josephi opem ardenter stagitabant. Neceos fefellit fiducia. Etenim à S. Josepho in portum deducti, cùm, ecquis ille Dux esset? rogarent, audiēre: Ego sum S. Joseph. Adhac: 7. suorum dolorum, & gaudiorum mysteria illis explicuit, suum illis auxilium abunde pollicitus, qui ea quotidie fuerint reveriti, 7. Pater noster, & Ave Maria in S. Josephi honorem orando, quod, ut ferventius facias, praxim hic subjicio.

*Aspirationes ad 7. dolores S. Josephi.*

I. **S.** Joseph, cuius admirandum cum Maria DEI Matre futura conjugium dolori primūm tibi fuit, de puritate tua nulli periculo exponenda sollicito, sed impulsu Divino conjugium

illud

illud novum, quod fuit virginitatis mysterium, iniisti: doce me, quomodo animum dolore aliquo, vel solicitudine anxium debeam ad Deum elevare, inde radium lucis accipere, ac Dei ductu, ac nutum sequi. *Pater, Ave, Gloria.*

2. S. Joseph, qui, cum desponsata tibi Maria inventa esset in utero habens de Spiritu Sancto, modestus & incertus consilii, cogitabas de illa occulte dimentenda, impetra mihi cœlestem prudenteriam cum charitate conjunctam. *Pater, Ave, Gloria.*

3. S. Joseph novi doloris plene, quando tibi cum Maria desponsata tibi uxore prægnante, in Bethlehem non erat locus in diversorio, adeoque natus ex illa Jesus debuit in præsepio reclinari: impetra mihi solidam illam patientiæ firmitatem, etiam in casibus qui animum valde percellunt, seu domi sit aliquid, seu foris patiendum. *Pater, Ave, Gloria.*

4. S. Joseph magno dolore anxic, cum JE-

JEsum tuum ab Herode quærendum  
ad cædem intellexisti, & nocte JEsum  
& Mariam accepisti, ac in Ægyptum  
fugisti; protege me cum JESU, & Ma-  
ria, si quis animæ meæ tyrannus, vel  
occasio me quærat ad perdendum  
in æternum: doce me JESUM & Ma-  
riam accipere, doce fugere. *Pater no-  
ster, Ave, Gloria.*

5. S. Joseph doloris iterum plene,  
cùm ex Ægypto redux in Judæam ire  
timuisti, ne in Archelaum incideres,  
Herodis filium tunc regnantem; doce  
me ita scitè ac sapienter Angeli mei  
monitis parere, ut quidquid animæ  
meæ periculum creare potest, evitem.  
*Pater, Ave, Gloria.*

6. S. Joseph, qui amissū duodecim an-  
nos natum JESUM dolenter quæsivisti.  
doce me illum nunquā amittere: doce,  
quidquid me ab illo separare potest, to-  
tis viribus detestari. *Pater, Ave, Gloria.*

7. S. Joseph, qui m' oriens non sínè do-  
lore tulisti te à JESU, & Maria separari:  
rogo

rogo te per amorem JESU, & Mariæ, ut  
præsis omnib<sup>9</sup> dolorib<sup>9</sup> mortis meæ, ut,  
quidquid doloritunc esse potest, lenias,  
& abstergas. *Pater, Ave, Gloria.*

*Aspirations ad 7. gaudia ejusdem.*

1. **S.** Joseph, gaudio plene, quando  
Mariam Sposam tuam virginini-  
tatis voto DEO devotam intellexisti,  
esto unà cum illa custos puritatis cor-  
dis mei, nec plus contra illam possit  
ulla tentatio, quàm tu, & Maria possi-  
tis pro me. *Pater, Ave, Gloria.*

2. Gratulor tibi S. Joseph, de gau-  
dio, quod habuisti, cùm ab Angelo in-  
tellexisti, ne Mariam dimitteres, quod  
enim in ea natum erat, de Spiritu San-  
cto esse; impetra mihi. ut nihil me à  
Mariæ Sponsæ tuæ cultu sancto abdu-  
cat, ne illam dimittam, ne deseram,  
ne ab illa deserar in æternum. *Pater,*  
*Ave, Gloria.*

3. Gratulor tibi de tenerimis gaudiis  
S. Joseph, quibus perfusus es, cùm JE-  
sus recens natum adorares, Angelos  
caner-

canentes audires, Mariæ DEI Matri servires: doce me amare JESUM, colere Mariam, servire utrique cum Angelis, ut illis serviens tandem salvus fiam. *Pater, Ave, Gloria.*

4. S. Joseph, qui in AEGYPTO, exulli-  
cet, gaudens tamen, quia à Tyranno securus cum IESU & Maria vixisti, im-  
petra mihi, ut in hoc exilio ita vivam,  
IESU, Mariæ, ac tua ope securus, ut  
nullum periculum possit me à vobis a-  
vellere, & vobiscum degam in loco se-  
curitatis æternæ. *Pater, Ave, Gloria.*

5. S. Joseph læte redux in Nazareth,  
ubi cum IESU puerο, & Maria Sponsa,  
Matre Virgine, in convictu beatissimo habitâsti; impetra mihi, ut bene sciam  
habitare cum bonis, & optima in illis  
imitatus perveniam ad societatem ci-  
vium supernorum. *Pater, Ave, Gloria.*

6. S. Joseph, qui duodecennem pue-  
rum IESUM lætus in templo inter Do-  
ctores reperisti, quære me servum tuum,  
quæso, dum ipse me perdo: apud  
JE-

JEsum ac Mariam effice, ut semper in  
iis sim, quæ DEI sunt; offero nunc omnia  
& singula honori & amori DEI, &  
conjungo meritis JEsu, Mariæ, ac tuis.

*Pater, Ave, Gloria.*

7. S. Joseph, cuius mors inter dulces  
JEsu, & Mariæ complexus pulcherri-  
ma, facta est morientium solatium, &  
exemplum. O sancte mihi per omnem,  
quo JESUS, & Maria te amavir, quoque  
illos amasti, amorem: per omnem, qua  
te S. Theresia, & omnes tui coluerunt,  
vel colunt, pietatem: per omne, quid-  
quid tibi placet in caelo, & in terra: per  
omnia tua pro animabus, corporibus-  
que facta miracula: per omnem gra-  
tiam & gloriam, quae te sanctissima Tri-  
nitas cumulavit, impetra mihi, ut JE-  
su, Mariæ, tuoque amplexu dignus vi-  
vam, & moriar, ut sim inter illos in æ-  
ternum, qui tua tam fidei, tam exper-  
ta, tam certa ope ad sanctissimam Tri-  
nitatem æternum videndam, & colen-  
dam admissi sunt, Amen. *Pater, Ave,*  
*Gloria.* DIE

## DIE VENERIS.

Felicitis mortis negotium per S. Josephum impetra.

**S**ummi apud omnes momenti debet esse momentum illud, à quo pendet aeternitas, quod quia periculorum est adeò, peritissimum in arte moriendi Magistrum tibi quæras, est necesse. Et hic gloriosissimus Patriarcha Josephus est, qui ab adstante sibi agonizanti JESU, & Maria mori didicit, & te ad eam feliciter obeundam juvabit, si impensa eum pietate colueris. *Audi S. Vincent. Ferrerium Serm. in Vigil. Nat. Dom. adhortantem. Si morituri vult habere Societatem JESU, Mariae, Josephi vobiscum, facite, quod fecit Mercator Valentinus, qui quolibet anno semel invitabat ad mensam unum pauperem senem, & mulierem habentem filium parvulum, qui representarent Virginem cum Filio, & Josepho: cui in morte Sancta hac Trinitas comparuit, dicens: Quia recepisti*

nos in domo tua, ideò te recipimus in  
domo nostra. Omors beata! quam ut  
& tu consequaris, si priorem praxim  
exercendi facultas tibi deest, aliam sub-  
ministro, quâ certum D. Josephi pre-  
morte auxilium possis demereris.

### LITANIÆ AD S. JOSEPHUM.

**K**yrie eleison. Christe eleison.  
Kyrie eleison.

Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Pater de cœlis DEUS, miserere nobis.

Fili Redemptor mundi DEUS, misere-  
re nobis.

Spiritus Sancte DEUS, miserere nobis.

Sancta Trinitas unus DEUS, misere-  
re nobis.

S. Maria Regina totius mundi, Ora  
pro nobis.

S. Joseph B. V. Sponse, Ora pro nobis:

S. Joseph in ventre Matris justificate,  
Ora pro nobis.

- S. Joseph à peccato mortali immunitis facte,
- S. Joseph Patriarcharum culmen,
- S. Joseph inter omnes in Virginis connubium electe,
- S. Joseph ineffabili benedictione donatae,
- S. Joseph, cui Regina cœli ministavit,
- S. Joseph, Christi Pater vocatae,
- S. Joseph, Christi tutor amantisime,
- S. Joseph, Christi Nutritie fidelissime,
- S. Joseph, Christi pueri post Virginem prime adorator,
- S. Joseph, qui Christum ab Herode liberasti,
- S. Joseph, qui Virginem traducere noluisti,
- S. Joseph, Christo, & Matri similime,
- S. Joseph, Spiritus Sancti donis abundantissime,

Ora pro nobis.

S. Jo-

- S. Joseph, vir Angelice,
- S. Joseph, qui monitione Custodis  
Angeli in Christo curam exer-  
cuisti,
- S. Joseph, qui ut Angelus divina  
oracula retulisti,
- S. Joseph, qui ut Principatus Chri-  
stum magni consilii Angelum  
gubernasti,
- S. Joseph, qui ut virtus Minister  
Christi fuisti,
- S. Joseph, dominationibus major,  
cui Rex, & Regina cœlorum in-  
serviunt,
- S. Joseph, in cuius brachiis, & gre-  
mio tanquam in throno Chri-  
stus insedit,
- S. Joseph, qui ut Cherubin, Virgi-  
nis Paradysi custodiam habuisti,
- S. Joseph, vir Seraphice,
- S. Joseph, contemplator altissime,
- S. Joseph, inter brachia Christi  
defuncte,
- S. Joseph, Angelici concensus au-  
ditor,

Ora pro nobis.

S.

- S. Joseph, ad limbum Patrum Christi præcursor,  
 S. Joseph, qui cum Christo inter alios resurrexisti,  
 S. Joseph, qui corpore & anima peculiari bus gloriæ donis frueris,  
 S. Joseph, Patrona & defensor noster dulcissime,
- Agnus DEI**, qui tollis peccata mundi,  
 parce nobis Domine.
- Agnus DEI**, qui tollis peccata mundi,  
 exaudi nos Domine.
- Agnus DEI**, qui tollis peccata mundi,  
 miserere nobis.
- Christe audi nos.** Christe exaudi nos.
- Kyrie eleison.** Christe eleison.
- Kyrie eleison.** *Pater noster, &c.*
- Antiph.* Hic vir despiciens mundum, & terrena triumphans, divitias cœlo condidit ore, manu.
- V.** Domine exaudi orationem meam.
- R.** Et clamor meus ad te veniat.

*Oratio.*

**O**Mnipotens, sempiterne DEUS, qui

B. Jo-

Ora pronobis.

B. Josephum justum filium David Beatisimæ Virgini Mariæ Speculum providedisti, & Filio tuo Jesu Christo Nutrictum elegisti, da quæsumus, ut ejus precibus, & meritis tranquillâ pace lætemur, & ad perpetuæ visionis tuæ consolationem perducamur. Per eundem Dominum, &c.

## DIE SABATHI.

Tener in B.V. amor & cultus cum S.  
Josephi cultu, & amore jungendus.

*N*ec Mariae quidquam charius amore Josephi, nec Josepho acceptius aliquod cultu Mariae praestare potes obsequium. Ita D. Theresiam ad Deipara cultum hortatus est D. Joseph V. c. 33. p. 413. sed Balthasarum Alvarez Societatis IESU Sacerdotem, ut S. Josepho enixe addictus esset, B. V. monuisse legitur. Hinc pia multorum invaluit consuetudo; ut 2. Febr. & Decemb. 19. Martij, 20. Junij, & Julij, aliósque S. Josephi vel mortis, vel cum Virgine De-

*sponsationis dies juncta in Virgineum  
Sponsum pietate celebrent. Sic fecit  
parvulus JESUS, ut in veteri Ecclesiae  
Officio canitur :*

Nunc ad Joseph tanquam Patrem,  
Nunc ad Sanctam repsit Matrem.

*Æmulare Sodalis Mariane, & qui  
Mariæ Sacramento devovisti, per D.  
Josephum adeam aditum pete, quem in  
finem Lauretanæ Virginis laudes sèpè  
recitore suadeo, sed & devotos addo ad  
S. Josephum affectus.*

## 1.

Salve Pater Salvatoris,  
Salve Custos Redemptoris,  
Joseph ter amabilis.  
Salve Sponse Matris DEI,  
Salve hospes JESU mei  
Joseph ter amabilis.

## 2.

Dulces cunæ dulces panni,  
Dulces dies, dulces anni,  
Dum nutriti Dominum.  
O quam fuit admiranda,  
Tua vita veneranda,

Habens DEI filium.)

JESUM oculis vidisti,  
Et in brachiis tulisti,  
O suavis felicitas.

Genis genas admovisti,  
Oscula d̄ans accepisti,  
O felix suavitas.

Modò DEUM appellâsti,  
Modò Regem nominâsti,  
Inter mille gaudia.

Modò Patrem adorandum,  
Modò natum adamandum,  
Inter mille basia.

JESUM brachiis tenere,  
Atque totum possidere,  
O quantæ divitiae!  
Cum MARIA conversari,  
DEI natum amplexari,  
O quantæ deliciæ!

Quis est homo, qui amare,  
Atque JESULUM portare,  
Nollet suis brachiis!

Nul-

Nullus est, qui non ambiret,  
Et qui cunas non adiret  
Pro tantis deliciis.

7.

O mi Joseph plus amande,  
Et Præ cunctis venerande,  
O flos pudicitiae !  
Tibi tanta sors est data,  
Quanta nulli est collata,  
Ab authore gratiae.

8.

O felicem ! & beatum !  
Custodiri cui est datum  
Tuo sub præsidio ;  
Et qui meruit habere  
Te Patronum, & gaudere  
Tuo Patrocinio.

9.

Per MARIAE tuæ Matri,  
Preces, & Josephi Patris  
JESU tu nos adjuva ;  
Ut possimus te videre,  
Et æternum possidere  
In cœlesti Patria. Amen.  
¶. Valde honorandus, & amandus est  
S. Joseph.

R. In-

**R**, Inter cujus brachia Christus recuperuit.

*Oratio.*

**O** Beatissime Joseph, cujus cultus MARIAE a deo cordi est, ut Theresiā illa idcirco lauda verit, manūmque illius amicē apprehenderit. Utinam tuis precibus persuasa Virgo Mater, manus meas apprehendat, & me deducat ad verum amorem DEI, sui, & tui. Amen.

*Alii ad S. Josephum affectus ex Anno  
Cœl. P. Nad. 19. Martii.*

**S.** Joseph, Sponse MARIAE, de qua natus est JESUS; qui cum DEO JESU, & MARIA DEI Matre, plusquam duodecim annis, conversatus dulcissimè, arcana mira didicisti. Nónne corrūtum ardens erat, cùm DEUM, DEIquę Matrem, in una tecum domo, mensaque videres, loquentes audires? O felix Joseph! qui JESUM inter, & MARIAM, te consolantes, tibiq; ministrantes, ultimum agonem egisti, Spiritum

exhalâsti! à quo nunquam aliquid S. Theresia petiit, quod non impetrâisset. Cujus nobis intercessione donatur, id quod possiblitas nostra non obtinet. Adesto mihi, quæso morienti; ut me, in agone jacentem, suspiratam, expirantem juvent, ultimū Spiritum colligant, & in æternum suum contubernium recipiant JESUS, MARIA, & tu S. Joseph, ad cuius nomen in cœlo auditum, omnium Sanctorum choros S. Gertrudis singulari reverentiae significatione gaudentes vidit. Gratulor ego quóq; gloriæ tuæ, ac rogo fac me talem, ut sim dignus tibi æternū cum Sanctis omnibus gratulari. Amen.

*His aliisque devotionibus S. Patronum tuum venerare, maximè die ejusdem honori ab Ecclesia deputato, quem pridiano jejunio, & mortificatione; deinde Confessione. & Communione devotius obitâ deceret celebrare. Præterea & tum, & aliis diebus ejus Patrocinium ferventer implora, nihilq; post JESUM, & Mariam plus i.e amoribus sit, ac S. Josephus, ut ejus operem felicem vitæ clausulam in sanctissimis JESU, Mariae, & Joseph nominibus expirans afferquis.*

PRE-

PRECES MISCELLANEÆ.

*Formula Intentionis Matutinae.*

A Doro te , ô SS. Trinitas , unus  
DEUS, Pater, Fili, & Spiritus S.  
& ago tibi maximas gratias , quod  
me hac nocte tuâ Paternâ custodiâ  
protexeris. En ex ardentiſſimo Di-  
vinæ Majestati tuæ serviendi deſide-  
rio offero tibi in unione Vitæ, Paſſio-  
nis, Mortis, & meritorum JESU Chri-  
ſti, BB. V. MARIAE, omniūmque  
Sanctorum me totum, & omnia, quæ-  
cunque ab hoc tempore cogitabo, lo-  
quar, agam, & patiar ; omnes paſ-  
ſus, ſuſpiria, anhelitus, aliósque cor-  
poris , & animæ motus , tanquam  
continua mei erga te amoris indicia,  
ad majorem gloriam tuam , in hono-  
rem BB. V. MARIAE, S. Josephi ,  
S. Angeli Custodis , S. N. menstrui---  
aliorūmque Sanctorum , præſertim Pa-  
tronorum, ac Patronarum mearum.

1. In gratiarum actionem pro universis beneficiis tuis.

2. Pro vivis, & defunctis. præpriorum, quorum ut memor sum, vis, aut me quomodocunque obligari scis (*pro Parentibus, Benefactoribus, cognatis, Amicis, & Inimicis ---*) volo enim, præsertim per meas preces, & bona opera, omnes obligationes, quibus quocunque titulo obstrictus sum, quantum fieri potest, extinguere; & intendo nunc pro semper pro Defunctis omnes eisdem applicabiles indulgentias lucrari.

In omnimodam satisfactionem, & pœnitentiam pro peccatis meis; quæ, quod ijs te omni amore dignissimum, & dilectissimum DEUM meum offenderim, me commisere summè, & super omnia doleo, statuoque firmiter ex amore tui in posterum (*præsertim verò hodierna die*) omni studio cave te, ne te aliquo peccato (*nominatim N.*) offendam: ad præteriorum autem

tem reatum abolendum intendo nunc  
pro semper omnium , quarum pos-  
sum , indulgentiarum me participem  
facere.

Ad impetrandum , ut in statu  
gratiæ semper vivam , ac moriar , &  
ut in omnigenis virtutibus ( *præsertim*  
*N.* ) semper magis , & magis profi-  
ciam : & denique varia pro meo so-  
latio beneficia ( *nominatim N.* ) à te ob-  
tineam , in quantum tamen sunt con-  
formia tuæ Divinæ voluntati , in quam  
me , & omnia mea plenè , & in æternum  
resigno . O DEUS , ô unicum , & infi-  
nitum Bonum meum ! in te credo , in  
te spero , te amo , & amabo semper su-  
per omnia . Amen .

## HYMNUS.

JAM lucis orto sidere  
DEUM precemur supplices .  
Ut in diurnis actibus  
Nos servet à nocentibus  
Linguam refrænans temperet ,

Ne litis horror insonet:

Visum fovendo contegat.

Ne vanitates hauriat.

Sint pura cordis intima,

Absistat & recordia:

Carnis terat superbiam

Potus cibique parcitas.

Ut cum dies abscesserit,

Noctemque sors reduxerit,

Mundi per abstinentiam

Ipsi canamus gloriam.

DEO Patri sit gloria,

Eiusque soli Filio,

Cum Spiritu Paraclito,

Nunc, & per omne saeculum. Amen.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

### OREMUS.

Domine DEUS Omnipotens, qui ad principium hujus diei nos pervenire fecisti: tua nos hodie salva virtute; ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam justitiam faciendam nostra procedant

cedant eloquia, dirigantur cogitationes, & opera. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum: qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti DEUS: per omnia saecula saeculorum.

**D**irigere & sanctificare, regere & gubernare dignare, Domine Deus Rex coeli, & terrae, hodie corda, & corpora nostra. sensus, sermones, & affectus nostros in lege tua, & in operibus mandatorum tuorum: ut hic, & in eternum, te auxiliante salvi, & liberi esse mereamur, Salvator mundi: Qui vivis, & regnas in saecula saeculorum.

**A**d tuam ô Sacro-santa Trinitas, laudem, & honorem, fac, omnem vitae studium, impendam, & laborem.

Ad pulsum Campanæ pro agonizantibus.

*Ad agonizantem JESUM.*

**O**dulcissime, & dolorosissime JESU,  
Amor

Amor meus , spes mea , & omnia ! per  
illam amaritudinem , quam sustinui-  
sti propter nos in cruce , maximè quan-  
do anima tua egressa est de corpore  
suo miserere animæ meæ , & hujus  
agonizantis in egressu suo.

*Ad eternum Patrem.*

**R**espice quæsumus Domine super  
hanc animam , pro qua Dominus  
noster JESUS Christus non dubitavit  
manibus tradi nocentium , & crucis  
subire tormentum . Qui tecum vi-  
vit , & regnat in unitate Spiritus San-  
cti DEUS , per omnia sæcula sæculo-  
rum . Amen .

Pater noster , Ave Maria .

*Sanctissimus Dominus noster Clemens P.  
XI. omnibus ad concretum pro agonizan-  
tibus pulchri aliquid flexis genibus ( si fieri  
poterit ) orantibus Anno 1710. concessit 40.  
dierum Indulgentias.*

TRES ORATIONES  
Ad B. Virginem pro felici morte  
quotidie dicendæ.

## I.

**O** Domina mea , Sancta MARIA ,  
sicut DEUS Pater per omnipot-  
tentiam suam te potentissimam effe-  
cit , ita mihi , quæso , ad sis in hora  
mortis meæ , expellendo à me omnem  
contrariam potestatem. Amen.

Ave Maria , &c.

## II.

**O** Domina mea , Sancta MARIA ,  
sicut te Filius DEI , tantâ sui co-  
gnitione , & claritate donavit , ut to-  
tum cœlum illumines ; ita in hora  
mortis meæ animam cognitione fidei  
sic illustra , & corrobora , ut nullô er-  
rore , aut ignorantia pervertatur. Am.

Ave Maria.

## III.

**O** Domina mea , Sancta MARIA ,  
sicut Spiritus Sanctus suum amo-  
rem

rem tibi plenè infudit, ita in hora mor-  
tis meæ, amoris Divini dulcedinem  
mihi instilla, ex quo omnis amaritu-  
do mihi reddatur suavissima. Amen.

Ave Maria.

*Oratio*

AD S. BARBARAM,  
Pro felici Morte.

O Sanctissima Virgo Barbara ! quod-  
cunque Sponsi tui viribus potes,  
mihi in mortis articulo, obsecro, ut  
suppedites. Adjuva me miserum ne  
in peccatis moriar ! Effectum tunc  
habeat tuâ intercessione primitus à  
Christo tibi facta promissio, cùm fi-  
dem ejus tuo sanguine consecrares.  
Redeat in memoriâ sponsi tuo virginus  
collo tuo exuberans sanguis : recor-  
detur ardentissimæ tuæ charitatis nec  
animam meam è corpore exire per-  
mittat, nisi confessione expiatam, &  
SS. Eucharistiae Sacramentum refectam.  
Amen.

LITA-

LITANIÆ  
De Sancto Apostolo  
JUDA THADÆO.

KYrie eleison. Christe eleison.  
Kyrie eleison.

Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Pater de cœlis DEUS, miserere nobis,  
Fili Redemptor mundi DEUS, miserere nobis.

Spiritus Sancte DEUS, miserere nobis.  
Santa Trinitas unus DEUS, miserere nobis.

S. Juda Thadæe JESU & MARIAE  
consanguine,

S. Thadæe, qui sanctissimas Personas JESUM & Mariam oculis corporeis intueri, eorumque suavi colloquio dignatus es,

S. Thadæe, qui à Christo ad dignitatem Apostolatus elevatus es,

S. Thadæe, qui cum Christo in terris ambulans fidelis miraculorum ejus testis extitisti,

Oratio  
pro nobis.

J S.

- S. Thadæe, qui Christo dilectissimo Magistro tuo sumâ verecundiâ pedes lavandos porrexiisti,
- S. Thadæe. qui in ultima Cœna sanctissimam Eucharistiam è manibus dilectissimi Magistri tui maximâ reverentiâ accepisti,
- S. Thadæe , qui mortem Christi amarè deplorans post Resurrectionem summo eum gauilio cœlos concendere vidisti,
- S. Thadæe, qui in Pentecoste cum aliis Apostolis , Discipulisque Christi, Spíritu S. repletus es,
- S. Thadæe, qui Christo in cœlum ascendentे, in Persidem ad Barbaras nationes Evangelio imbuedas, te contulisti,
- S. Thadæe, qui doctrinâ tuâ innumeros infideles ad veram Religionem perduxisti,
- S. Thadæe , qui Spiritus Sancti virtute maximâ prodigia patrâsti,

Ora pro nobis.

S. Tha-

- S. Thadæe, qui Regis Abagari animam infidelitate, corpus lepræ contagione mundâsti,
- S. Thadæe, qui Divinâ virtute dæmones idolorum elingues faciens magorum præstigias confudisti,
- S. Thadæe, qui Baradach Belliduci pacem cum hostibus prosperè componendam vaticinatus es,
- S. Thadæe, qui serpentibus veneno homines inficiendi potestatem ademisti,
- S. Thadæe, qui spretis impiorum minis veræ fidei dogmata impavidè tradidisti,
- S. Thadæe, qui tandem pro Christi nomine fustibus mæctatus, sanctum vitæ cursum consummâsti,
- S. Thadæe, nos clientes tui, Tergamus audi nos.

Ut DEUS meritis tuis hæreticos, ac  
Eth-

Ora pro nobis.

Ethnico ad veram fidem con-  
vertere dignetur,  
Ut fidem, spem, & charitatem in  
nobis augere digneris,  
Ut pravas cogitationes, omnés-  
que dæmonis insidias à nobis  
avertere digneris,  
Ut omnes pia tibi devotione addi-  
ctos tutelâ tuâ fovere digneris,  
Ut eos à peccatis mortalibus, eo-  
rumque occasionibus clemen-  
ter præservare digneris,  
Ut venerandis eos ante obitum Sa-  
cramentis dignè facias expiari,  
Ut eos in mortis agone confortare,  
& contra dæmonum incursus  
defendere digneris,  
Ut eos in Regionem viventium  
gaudiis æternis potituros intro-  
ducere digneris,  
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,  
parce nobis Domine.  
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,  
exaudi nos Domine.

Te rogamus audi nos.

Agnus

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,  
miserere nobis.

Pater noster, &c.

℣. S. Juda Thadæe Apostole pro nobis ora.

℟. Et à periculis cunctis nos libera omni hora.

*Oratio.*

DEUS, qui S. Judam Thadæum, gloriosum coram te Apostolum, sed in mundo propter nefandum Judæ Proditoris nomen, parùm cultum; hòc sèculò celebrem facere, eumque in rebus desperatis, & periculis, specialem Patronum constituere dignatus es: concède propitius, ut ejus apud te intercessione, gratiâ tuâ digni inveniamur, ac in periculis positi, ab iis, te miserante, eripiamur: per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, quitecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti DEUS per omnia sacula sèculorum. Amen.

# LITANIE AD S. DISMAM

Latronem pœnitentem.

**K**Yrie eleison. Christe eleison.  
Kyrie eleison.

Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.

Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.

Sancta Maria Mater Agonizantium, ora pro nobis.

S. Disma Latro pœnitens,

S. Disma Confessor in Cruce Domini,

S. Disma Mártyr, & collega Christi Martyrii,

S. Disma ex Latrone Propheta facte,

S. Disma Prædicator in Cruce,

S. Disma

Ora pro nobis.

- S. Disma Advocate Christi,  
 S. Disma Minister Christi in Sa-  
 crificio,  
 S. Disma à Christo coronate,  
 S. Disma ex Latrone Evangelista  
 facte,  
 S. Disma probe Christi Discipule,  
 S. Disma Concionator illustris,  
 S. Disma Testis Christi fidelissime,  
 S. Disma primogenite Christi Cru-  
 cifixi,  
 S. Disma Archangelo Paradysi,  
 S. Disma, qui tunc credidisti, quan-  
 do Apostoli defecerunt,  
 S. Disma, qui Christum à Petro ne-  
 gatum confessus es,  
 S. Disma, qui proprio sanguine ba-  
 ptizatus Paradysi Januam ape-  
 ruisti,  
 S. Disma, qui cœlestem conversa-  
 tionem ante omnes meruisti,  
 S. Disma, qui Latroni blaspheman-  
 ti in Cruce silentium impos-  
 suisti,

O Disma Latro pœnitens  
Lectissime Patrone  
Sis mihi tutor, moriens  
Dum luctor in agone.

- \*. Ora pro nobis S. Disma,  
¶. Ut digni efficiamur, &c.

*Oremus.*

**D**eus, qui S. Dismam mirâ providens  
tiâ ex nefario Latrone in eximium  
pœnitentiæ speculum, toti mundo pro-  
posuisti: præsta quæsumus, ut sicut per  
gratiam tuam efficacem, eum ad pœ-  
nitentiam, & cœlestis Paradysi gloriâ  
perduxisti, ita nos famulos tuos eadem  
efficaci gratiâ ad dignos pœnitentiæ  
fructus impellas, & tandem cœlestis  
gloriæ jubeas esse confortes. Per Chri-  
stum Dominum nostrum. Amen.

L I T A N I Æ

DE SANCTO

**JOANNE NEPOMUCENO**

BONÆ FAMÆ PATRONO.

**K**yrie eleison. Christe eleison.  
Kyrie eleison.

Christe audinos. Christe exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, miserere nobis.  
 Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.

Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.  
 Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.

Sancta Maria, ora pro nobis.

Sancta DEI Genitrix,

Sancta Virgo Virginum,

Sancte JOANNES Nepomucene,

Lachrymis, & precibus seruum tuorum parentum ad B. V. M. fusis nate,

Visibili coruscâ luce in natali tuo à cœlo honorate,

Unigenite, solatium, & gaudium Parentum tuorum,

Impiger minister sacri Altaris,

Vir Apostolice,

Lumen Ecclesiæ Pragensis,

Speculum, & Norma Confessario-

rum,

Eleemosynarie liberalissime

Refugium pauperum,

Ora pro nobis.

Consolator afflitorum,  
 Expugnator hæresum,  
 Tuba Legis Evangelicæ,  
 Dignitatum, & honorum Con-  
 temptor,  
 At teneris unguiculis ardentissime  
     Mariophile,  
 Orator eloquentissime,  
 Prædicator zelosissime,  
 Salutis animarum cupidissime,  
 Multos ad pœnitentiam conver-  
     tens,  
 Sanctimonie prototypon,  
 Vas puritatis mundissimum,  
 Rosa patientiæ,  
 Spiritu propheticō imbute,  
 Sigilli Confessionis Sacramentalis  
     Custos invictissime,  
 Ad frangendum hoc sacrum Sigil-  
     lum frustra blanditiis, & minis  
     solicitate,  
 Ante, & post torturam, Confes-  
     sionem Augustæ propalare re-  
     cusans,

Ora pro nobis.

Eli-

Eligens potius mori , quam mini-  
 ma Confessionis secreta prodere ,  
 In tormentis preferendis patienti-  
 sime , & costantissime ,  
 Ad mortem te sancte semper di-  
 sponens ,  
 Illata stibi injurias patienter ferens ,  
 Martyrii cupidissime ,  
 Ob Sigillum sacræ Confessionis  
     integrè servatum in Moldavam  
     flumen præcipitate ,  
 Martyr Dei inclyte ,  
 Post mortem luminibus noctu su-  
     pra aquam juxta corpus tuum  
     coruscantibus à Deo manifestate  
 Cujus sepulchrum miraculis glo-  
     riosum ,  
 Bohemorum Thaumaturge , & Pa-  
     trone ,  
 Nobile depositum Urbis Pragenæ ,  
 Patrone singularis famâ pericli-  
     tantium ,  
 Agnus Dei , qui tollis peccata mundi ,  
     parce nobis Domine .

Agnus

Ora pro nobis.

Agnus DEI , qui tollis peccata mundi,  
exaudi nos Domine.

Agnus DEI , qui tollis peccata mundi ,  
miserere nobis.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison.

Kyrie eleison.

Pater noster. Ave Maria.


℣. Ora pro nobis S. JOANNES Ne-  
pomucene.

℟. Ut digni efficiamur promissio-  
bus Christi.

*Oremus.*

**D**eus, qui ob invictum Beati JOAN-  
NIS Sacramentale Silentium no-  
va Ecclesiam tuam Martyrii corona  
decorasti: da nobis ejus intercessione,  
& exemplo linguam cautè custodire;  
ac omnia potius mala , quām animæ  
detrimentum in hoc Sæculo tolerare.  
Per Dominum nostrum JESUM Chri-  
stum Filium tuum , qui tecum  
vivit, & regnat Deus in se-  
cula sæculorum.

A M E N.





## ERRATA SIC CORRIGENDA.

- Fol. 2. lin. 4. Cr̄stus. lege Christus.  
3. 20. oportet oportet.  
4. 24. mo ituros morituros.  
5. 17. cogitationū cogitationū.  
9. 28. sinēmodo sinē modo;  
7. 6. fatisinē fatisnē  
7. 23. i inium ignium  
7. 27. pro itent proritent  
9. 9. immnendos imminuendos  
10. l̄n. penult. illis illic  
12. 11. peripuli periculi  
ibid. 22. amisifie amisisse  
ibid. 28. lucruū lucrum  
13. 22. audici audaci  
14. 16. lucetur lucretur  
ibid. 30. fonori fenorii  
15. 12. perperdere perdere  
ibid. 16. f lutis salutis  
ibid. 22. r f gus refugus  
17. 26. probumne probrumne  
18. 18. uobis nobis  
21. 13. xox vox  
22. 26. placare placari  
23. 13. XVII. XVIII.  
24. 16. damnandi damnandæ animæ  
ibid. 23. igettur igitur  
25. 13. anims animas  
26. 25. Chiisti Christi  
ibid. 28. i ioma idioma  
27. 12. incœlum in cœlum  
ibid. 29. lubeus lubens  
29. 23. terra quam, lege terra & cœlum abi-  
bunt, quam

36. 5. ante fonte  
37. lin. ult. animo ex animo  
51. 17. Beatii Beati  
52. 17. sunt in toto sunt momenta in toto  
54. 11. ambixer ambiget  
ibid. 12. oblecteutis oblectantis  
ibid. 20. marer mater  
56. 8. foris feris  
ibid. 17. frontem frontem  
60. 2. affectanti affectanti  
ibid. lineæ ultimæ subdetur ly *Periculofusus.*  
propter sensum.  
62. 2. miserimus miserimus  
ibid. 11. quod quòd  
ibid. quid nescio, quid sim nescio.  
63. 18. liberari liberare  
65. 11. assin iliat assimilat  
66. 5. iustificationem inflammationem. &c.





B  
AST

T